

Ka
3722



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. TORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.


Wd. 5.
4.



EX LIBRIS
DIVISIONE AL VIREI
DR. DAN. F. V. D. P. H. I.
VIRI. S. DAN. F. V. D. P. H. I.
VIRI. S. DAN. F. V. D. P. H. I.
VIRI. S. DAN. F. V. D. P. H. I.
VIRI. S. DAN. F. V. D. P. H. I.
VIRI. S. DAN. F. V. D. P. H. I.







DISPUTATIO INAUGURALIS
^{De}
JURE PAPALI
PRINCIPUM
EVANGELICORUM,

Quam
TRIUNO DEO AUSPICE
Ex Decreto Ampliss. Facultatis Juridicae
IN ILLUSTRIS FRIDERICIANA,
PRÆSIDE
DN. SAMUELE STRYKIO,
JC. SERENISS. ET POTENTISS. ELECT.
BRANDENBURGICI CONSILIARIO INTIMO, COMIT.
PAL. CÆS. ET ACADEMIÆ DIRECTORE,
PATRONO SUO DEVENERANDO

*Pro Summis in U. J. Honoribus & Privilegiis
consequendis*

d. Junii M. DC. XCIV. Horis ante- & Postmeridianis
placido Eruditorum examini
submittit

MATTHIAS DANIEL LAURENS,
Treptoa-Pomer. & Ordin. Summ. in Patria Jud. Advoc.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITTERIS JOSUAE STEGMANNI, ACAD. TYPOGR.

DISPUTATIO IN AUCTORITATE
IURIS PAPERII
PRINCIPUM
EVANGELICORUM
DAVID DEUS THEOLOGUS
IN AUCTORITATE TRIBUNALIANA
JOHANNES STRYKIO
STUDENTES BECT
MATTHIAS DANIEL JAHRENZ

KEN. PR. FR.
UNIVERS.
ZVHALLE



INCOMPARABILI
STATUS MINISTRORUM
TRIGÆ

Illustrissimis & Excellentissimis

DOMINIS

DN. PAULO de FUCHS,

DN. EBERHARDO C.

D. de DANCKELMANN,

DN. DANIELI LUDO.

VICO de DANCKELMANN,

SERENISSIMI ac POTENTISSIMI

ELECTORIS BRANDEN-

BURGICI & c. & c.

Eminentissimis intimæ admissionis Consiliariis,

Belli & Pacis, Reipubl. & Ecclesiæ

Directoribus gravissimis.

DOMINIS SUIS PATRONISque SUMMIS.

*VIRIS, verè VIRIS, ad exemplum factis.
In quibus compendium fecere virtutes.
Qui Salutem Publicam
Suae occupationis jusserunt esse Legem.
Qui pro Principe suo
In labore voluptatem, in molestiis delicias
possidere credunt.
His omnia debent
Omnes, nova hæc Musarum sedes, Ego.
Huic communi desiderio,
Splendidissimis Aulae sideribus,
Strenuis Jurium Principalium observatoribus,
Summis Rerumpubl., summis Ecclesiarum Patribus,
Hanc de Jure Papali Principum Evangelicorum
Dissertationem inauguralem
in humillimæ Observantia argumentum,
Debitæ devotionis symbolum,
Ulteriore sui commendationem,
Observantissimo animo, manuque humillima
tanquam primitias obsequii,
tanquam primitias Alme hujus Fridericianæ,
Summa queque adprecatus,*

D. D. D.

MATTHIAS DANIEL LAURENS.



m!

PROOEMIUM.

Pincipum Jura in dubium vocare, plena periculi res est. Si enim Sacrilegii reus est, qui de Principali judicio disputare ausus fuerit, *l. 3. C. de Crim. Sacril.*, quomodo a reatu magni Criminis se liberabit, qui summam eorum in Sacris potestatem in controversiam vocare tentaverit. Sane gaudent Imperii Principes illa in suis territoriis eminentia, ut non tantum Imperatori paria, si non interdum majora, facere possint in causis Civilem statum concernentibus, sed & hæc Evangelicorum Principum eximia præ reliquis Catholicorum Sacris addictis Principibus prærogativa est, quod in Causis Ecclesiasticis nullum plane agnoscant Superiorem, eaque non tantum gaudeant statuendi circa regimen Sacrorum potestate, qua Episcopi & Archi Episcopi in Ecclesia Romano-Catholica unquam gavisi, sed longe adhuc eminentio.

A 2

mentio.



nentiori jure fruantur, quod scilicet inter suos Papa sine
 contradictione usurpat. Hoc vero ne de facto sibi arro-
 gasse videantur, Legibus Imperii publicis, maximeque
 fundamentalibus, communi non tantum Imperii Statuum,
 sed & Imperatoris exterorumque Regum consensu adeo in
 hoc Jure confirmati, ut nulla ratione amplius in eo turba-
 ri possint. Et de hac Principum nostrorum potestate,
 disputabimus in præsentis, non ut in dubium vocemus illam,
 sed ut ex Imperii Legibus eandem stabiliamus; Ubi præci-
 pue evincendum nobis, omne Jus Papale, quod ante Re-
 formationem Evangelicam exercuit in his terris Pontifex,
 Principibus nostris per Leges Imperii competere, & ex hoc
 fonte plus deduci posse ad exercitium eminentissimi hujus
 Juris, quam quidem ex vulgato illo, Principes gaudere
 Jure Episcopali, vel ex simplici superioritatis territorialis
 effectu; Verum cum in hac difficili materia errare sit fa-
 cillimum, veniam exoro à Candido Lectore, ut si non o-
 mnia ad amussim prolata, Ingenii mei imbecillitati veniam
 largiatur; nec enim materiæ difficultas, nec temporis ra-
 tio, quæ ob instantem Inaugurationem hujus Academiae,
 quam felicem jubeat esse DEUS, moras tollere jusfit, accu-
 ratoris elaborationis facultatem spatiumque indulsit;
 Interim DEUM O. M. supplex invoco, ut animi corporis-
 que vires mihi clementissime largiatur, quo omnia ad
 ipsius nominis gloriam, Ecclesiæ commodum & Reipubl.
 vergant Salutem.

Cap.

CAPUT I.

De

Jure Sacrorum Principibus competente.

- | | |
|--|---|
| §. 1. Summa Potestati Civili summa
coheret Ecclesiastica. | §. 8. Nec tamen injuste Elector Sa-
xonie mox à cepta Reforma-
tione Jus Religionis sibi vindi-
cavit. |
| §. 2. Hanc Imperatores olim libere
exercuerunt. | §. 9. Quomodo sibi J. Sacrorum
acquisverint Principes. |
| §. 3. Papa quomodo tantam sibi ac-
quisverit potestatem. | §. 10. An recte Restituti dicantur. |
| §. 4. J. Summum sacrorum non ha-
buerunt olim Principes Imperii. | §. 11. Ex solo Superioritatis terri-
torialis titulo illis adscribere
jus summum sacrorum, non sa-
ris cautum est. |
| §. 5. Exceptis quibusdam ex singula
ri concessione. | §. 12. Quinam hic veniant nomi-
ne Principum. |
| §. 6. Ex approbatione Concordato-
rum à Principibus facta quid se-
quatur. | §. 12. An Religionis diversitas
Jus istorum mutet. |
| §. 7. Non majus quid quam Impera-
tor habuerunt. | |

§. I.



Uls summum in terris circa Sacra
Majestatis est; Si enim Princeps utriusque
Tabulæ custos; si qui præest, Reipubl. cun-
ctis in Republica præest, excludi Ecclesia non
poterit; Imperium igitur, & ut ita loquar, Sa-
cerdotium ex eodem promanant fonte, eadem Origo, & con-
junctio tanta est, ut dividi nequeant, D. Conring. *de Pac. Per-
pet. S. IV. rat. IV. §. 4.* Hinc quod Principi cuique Summo non
circa profana tantum, sed sacra etiam competat potestas Le-
gislatoria, erudite satis deduxit Dn. Ziegl. *ad Lanc. l. 3. t. 1. §. 2. verb.*

Δ 3

it 6

CAP. I. DE JURE SACRORUM

ita etiam. Licetque acriter de hac ipsa disputatum sit materia inter Doctores, inprimis Hollandiæ *Nic. Vedelium & J. Revium* integris libris, sufficientes tamen & ibi pro nostra opinione invenies rationes. Tolle enim summam in Sacris potestatem, tolles religionem, tolles nexum hominum, tolles concordiaë vinculum; Tamdiu floret Respublica, quamdiu Moses & Aaron fratres manent, *Oldenb. ad I. P. p. 2. D. 17. §. 2.* Neque illarum ultima est ratio, quod *Rom. XIII.* omnis anima potestati sublimiori, & quod magis, etiam Gentili subjiciatur, illustris *Dn. de Rhetz. Dissert. de J. circa Sacra c. 1. §. 5.* *Limn. Not. R. Franc. l. 3. c. 2. d.* Neque si modo temporalem in terra potestatem divinæ subordinatam supponas, deerunt exempla Regum inter Israelitas plurimum, qui summam circa sacra curam sibi commendatam habuerunt. Quamobrem recte eos, qui eandem Regibus suis denegant potestatem, excommunicare Ecclesiam Anglicanam, nullus dubito, cum *B. Brunnem. J. Eccl. l. 1. c. 2. §. 5.* pluribusque hanc materiam persequuntur, *D. Conring de Maj. Civ. Auctor. §. Offic. circa Sacra.* *Hugo Grot. de Imper. Summ. Potest. circa Sacra B. Dn. à Seckendorf Teutsch. Gießten St. p. 2. c. XI. q. 1.* illustr. *Dn. Cancellarius de Jena de R. Stat. D. 19. concl. 6. §. 7.* *Dn. Puffendorf. in der Einleit. jur. Historie c. XII. §. 6. §. 7.* *Göckel de Maj. Rel. 7. th. 3.* Sed non opus esse, duco, majorem velle rei jam manifestæ foenerari lucem testimoniis aliunde petitis.

§. II.

Hinc consultius est, ad Imperium nostrum, missis generalibus illis juribus, proprius descendere, & quid capiti, quid membris Reipubl. Romano-Germ. hic relictum juris sit, investigare; Primo omnium autem inquirendum: *Annon Imperatores Romani summum olim in Imperio habuerint Jus Sacrorum?* Quicquid hic etiam Pontificii contradicant, stabilire nunquam poterunt negativam; Ex Historia enim ecclesiastica satis constat, Christianos Imperatores arbitrium circa Sacra sibi vindicasse, & consensu omnium fere Episcoporum res
magni

magni momenti in Ecclesia occurrentes ad eorum decisionem delatas fuisse, de quo pluribus M. A. de Domin. *Tract. de Republ. Eccl.* pasfim, *Conring de Maj. Civ. officio circa Sacra* th. 41 42. Tulerunt de Sacra S. Trinitate, Episcopis, Hæreticis &c. multas Leges & Theodosius & Justinianus Imperatores, quod utriusque testatur Codex; Convocaverunt Concilia, proposuerunt, & decisa sunt executi, B. Brunnem. *J. Eccl. L. 1. cap. 2. §. 15. &c.* Et ab omnibus Episcopis ad Imperatorem esse appellatum, sufficienter demonstravit Schilt. *l. c. L. 1. c. 6. §. 4. & 7.* Nec primis Christianorum Imperatoribus tantum hæc circa Sacrorum regimen potestas competiit; Sed Carolus M. primus Germanici Regni instaurator, ejusque Successores juris hujus Majestatici negligentes non fuere; Nam cui ignotum, quod soli Imperatores Germanici constituerint in Imperio Episcopos, Laur. Ohm. *de J. Episc. §. 14.* Marc. Ant. de Dom. *l. 6. c. 41. pr.* *Conring de Const. Episc. §. 34.* Dn. Præsid. *Not. ad Brunnem. J. Eccl. l. 1. c. 6. m. 12. v. 6. Episcopus.* Imo quod ipsum Pontificem elegerint, testatur *c. 23. D. 63. Reink. de Reg. Sec. & Eccl. l. 1. c. 2. c. 4. n. 30.* In Patrimonio Petri ordinavit Sacra Carolus M. *Conring de Imper. R. Germ. §. 28.* Ipsamque Ecclesiam Romanam reformavit Henricus III. Schilter *de Libert. Eccl. G. l. 3. c. XI. §. 15.* Jus ergo Sacrorum summum habuisse Imperatores, ex his plus quam aperte liquet, & plura subministrabit. Dn. Henning *de J. Imperatorum circa sacra.*

§. III.

Quomodo autem Papa tantam sibi in Germania acquisiverit Potestatem, brevibus nunc dicendum; Ab Episcopis inchoare liceat, qui sub Carolo M. sine ulla fuerunt Jurisdictione; Ast ejusmodi statu non contenti, mox territoria acceperunt, secularemque potestatem, & simul magnam in Imperio juris sacrorum partem, *Conring de Const. Episc. §. 47.* Illustr. Dn. de Rhetz *de J. Publ. L. 1. t. 2. §. 95. 98.* Interim quidem tam Electio, quam eorum confirmatio ab Imperatoribus facta, donec Gregorius VII, alias Hildebrandus, homo, ut loquar verbis

B. Ziegl.

B. Ziegl. *ad Lanc. Diff. prem.* §. 21. natus turbando orbi Christiano, Pestis ac perniciēs Ecclesiæ ac Reipubl. sub prætextu criminis Simoniaci, impetu in Henricum IV. factō, magnam in se transtulit potestatem, constituitque Monarchiam Hildebrandinam; Dn. Pufendorf. *Einleitung zur Hist. c. XII.* §. 21. Oldenb. *ad I. P. p. 1. D. 1.* §. 2. Ipsi tunc Principes Imperii maxima ex parte suam promovisse perniciem referunt Historici, deferentes Imperatorem, qui exinde magis, quam pertinacia Pontificis devictus, tandem Episcoporum Constitutionem in istius resignavit manus; Accessit inscitia & barbaries hominum; Accessit superstitio, qua nulla res magis regit ignorantes; Imo Romana Ecclesia sicuti defecit à veritate Apostolica paulatim, sic quoque accrevit injusta potestas successive, moderate principio, in dies rigidius, conf. Duar. *de Sacr. Eccl. min. ac benef. L. V. c. 8.* Graves sane ea propter interpositæ à Germanis protestationes, sed more Germanorum solito, sine effectu, & nihiletiam per *Avisamenta Constantiensis* impetraverunt, per *Moguntina* quidem plus consecuti, Dn. Ziegl. *ad Lanc. L. 1. t. 27.* §. 20. not. Conring *l. c.* §. 64. Sed utinam pari, quo Gallia consilio jus suum prosecuti fuissent. Potius nova iterum cum Pontifice inivit Pacta *Fridericus III.* nomine *Concordatorum* & sic uno rursus ictu omni Jure privatus, dimidiam, si non majorem Majestatis partem amisit Imperator; Hæc via, hic modus est, quo suam stabilivit Monarchiam Pontifex, quam absolutam, sine omni regula coarctante, statuunt Pontificii, J. H. Alban. *de Pot. Pontif. p. 2. n. 12. & 122.* Add. Tr. Gvicciardini *de Origin. Pot. Secul. Eccl. Rom.* Thom. Campegius *de Pontif. Auctoritate* A. Alvarez *de Rom. Sed. Origin. & Potest.* Johan. J. Sleidani *Histor. Bericht an alle Churf. und Fürsten des Reichs von des Pabsts auff- und abnehmen.* J. Ursini *Speculum Jesuit. Pont. Rom. erga Imperium perfidiam ac tyrannidem representans*, & alii plures, quos Goldastus in *Tribus tomis de Monarchia S. Rom. Imperii* refert.

§. IV.

Verum cum illa cuncta ab adductis autoribus satis sint discus-

discussa, nec huic immorabimur, utpote qui circa Statuum Imperii jura solliciti sumus, disquirendum itaque, *an jus circa Sacra competat Principibus Imperii?* Sub ipso Papatu, antequam Superioritas territorialis vel innotesceret, vel ad hanc eminentiam, qua hodie gaudet, eveheretur, non ausim quicquam Juris circa Sacra ipsis asserere; Ex antecedentibus enim abunde patet, omnem circa sacra potestatem in Imperio penes Imperatores resedisse; Cujus Majestatem communi obsequio tunc temporis venerabantur Principes, nec quicquam eminentissimorum Jurium sibi arrogabant, nisi quatenus ab Imperatore ipsis licentia data; Postquam vero Imperatoribus etiam à Pontificibus, ausu præcipue Hildebrandino hoc jus ademptum, dici sane non poterit, Principibus Imperii aliquid Juris Imperatorii remansisse, utpote de quo, quod habuerint, nondum constat, multominus dici poterit, illos noviter quicquam circa Regimen Sacrorum acquisivisse; Quod enim Imperatori denegavit Pontifex, certe aliis Imperii Statibus non indulsit; Et quamvis postea circa *A. 1447.* Concordata inter Pontificem & Nationem Germanicam inita, vix quicquam tamen hic remansit Imperatori, quam sola investitura Episcoporum super Regalibus; Unde iterum manifeste constat, nil quicquam relictum Statibus Imperii, sed eadem, si non minori fortuna ipsos cum Imperatore usos fuisse, h. e. nihil circa Sacra ipsos exercuisse juris, sed potestatem omnem in Pontificem & Episcopos devolutam fuisse.

§. V.

Hoc tamen non diffiteor, quibusdam ex Principibus etiam illò tempore, antequam hoc Jus ereptum Imperatoribus, horum benignitate communicatum fuisse; Sic in specie *Duci Bavaria* singulare Jus constituendi Episcopos competiit à tempore Henrici I. Imperatoris, Schilter. *d. 11. l. 3. c. 4. §. 9.* Et *Duces Pomerania* magnam semper habuisse Jurisdictionem Ecclesiasticam, & Episcopos ipsis simpliciter subjectos, ipsisque ad servitia obligatos fuisse, diversis probat, locis D. Martinus

B

Rango

Rango in *Origin. Pomer.* imprimis pag. 108. 310. 311. Unde in Comit. Imper. A. 1541. ex antiquis Constitutionibus observantiisque deductum prolixè, warumb der Bischoff zu Cammin kein Stand des Reichs besondern der Herzoge von Pommern Obrister Land-Rath und Capellan sey / idemque probat Bischoff Schwaben Vertrag d. A. 1645. adde die Erb-Bereinigung inter Duces Pomerania de A. 1567, d. 25. Jul. tit. Kirch und Stiffte Cammin. ubi dicitur daß Episcopus die Pommerischen Fürsten solle mit unterthäniger Reverenz agnosciren und ihnen alter native Folge un Dienste leisten / & multa huc pertinentia à Nobilibus in Comitibus Provinc. zu Treptow A. 1585. prolata sunt, ex quibus cæterisque actis publicis quoque notum, quod A. 1519., quo tempore nondum recepta erat in Pomerania Religio Evangelica, Wolf, Comes ab Eberstein à Papa Leone obtinuerit literas adjunctionis cum futura successione in Episcopatum, sed statim ad instantiam Ducum cassata sunt, plura videre licet in *Statutis Capit. Cammin. p. 1. circa fin.* Verum an omnes jus hoc post concordata Germaniæ retinuerint illibatum, merito dubitamus, si enim alias resolutò jure dantis, resolvitur etiam jus accipientis, l. *lex veſtig. ali. 31. ff. de Pignor.* etiam soluto Imperatoris jure, Statuum quoque jus dissolutum esse, eo magis dicendum, cum plerique in Concordata Germaniæ consenserint, nec multa exempla extent, ipsos postea in terris suis constituisse Episcopos, aut alium summæ Jurisdictionis Eccles. actum exercuisse.

§. VI.

Interim nec hoc diffiteor, cum Pontifex nec Germaniæ concordata servaret, Principes imperii subinde Consilia suscepisse, quomodo libertati pristinæ restitueretur imperium, hinc 1510. Maximiliano I. Imper. varia obtulerunt Gravamina contra ausus Pontificis ejusque contraventiones, quæ vel sola ipsis sufficere potuissent ad facultatem renunciandi Concordatis, cum fidem transactionis non servanti fides pariter non sit servanda, uti prolixius ostendit Conring. ad *Bull. In-*

noc. XI. c. 7. circa f. Verum in ipsa *Capitulatione Caroli V. Imperatoris art. 16.* denuo hæc concordata approbata, dum Imperatorem ibi adstrictum Electores voluerunt, quo operam impenderet apud Pontificem, ut hic concordatis hisce conformem se gereret, quod facere non potuissent, nisi denuo hæc concordata approbassent.

VII.

Ex quibus consequitur manifeste, tempore refulgentis Evangelicæ lucis, nullum sacri Juris exercitium vel Imperatori vel Statibus Imperii superfuisse, & quamvis ex eo tempore in superioritate sua territoriali quam maxime confirmati sint, omnis tamen hæc territorialis eminentia solo juriæ secularium exercitio circumscribebatur, & eatenus verum erat, *Status Imperii idem posse in suo territorio, quod Imperator in Imperio*; Verum cum Imperator in Imperio circa Sacrorum administrationem nihil amplius posset, sane ex opinione seculi nec quicquam amplius potuerunt principes Imperii.

§. VIII.

Sed quomodo hac ratione excusabuntur Principes, præcipue Elector Saxoniz, *qui mox à cæpta Reformatione Evangelicæ curam Religionis & Sacrorum sibi vindicavit*? Sane Historia reformationis abunde docet, nec Lutherum, nec Electorem Saxoniz semet mox subtrahere voluisse Pontificis cognitioni, quod literæ ad Pontificem *A. 1517.* missæ satis superque testantur. Lutherus enim indulgentias Tezelii ex merito taxabat, Pontificemque rogabat, ut auctoritate sua abusibus his mederetur, & ipse Maximilianus Imperator Pontificem pariter, ut auctoritate sua huic negotio consulere, imploravit, sed frustra; Cum Carolus V. ad regimen perveniret, varia gravamina ipsi oblata & emendatio abusuum Episcopaliū & Papaliū petita, quod & à Pontifice desideravit Carolus V; Verum Pontifex officii sui immemor, non à causæ cognitione, sed ab executione negotium

orsus, contra Lutherum Bullam Excommunicationis publicando, quam repetiit A. 1521. Nec meliorem Carolus V. se gessit, qui pariter A. 1523. proscripsit Lutherum; Non potuit igitur aliter Fridericus Elector, quam ut causam Lutheri, Pontificis & Imperatoris proscriptione damnatam quidem, sed de facto & sine ulla cognitione prævia, defenderet, vim ipsi factam modis omnibus repelleret, conscientiarumque libertatem contra iniquos Pontificis ausus sibi suisque subditis vindicaret; Et ita magis per modum defensionis libertatem religionis, quam ex jure quodam superioritatis sibi affererat. Imo tandem, cum Imperatorem jus suum negligere, imo cum Pontifice conspirare videret, merito illo remedio, quod unicuique injuste oppresso largiuntur Jura, se tuebatur.

§. IX.

Communem causam hic subesse sentiebant reliqui Principes de Evangelii veritate plenius edocti, nec sumptibus nec vitæ periculis semet subtrahebant, quo Evangelicæ religioni libertatem pararent; GEORGIUS Marchio Brandenb. fertur dixisse Carolo V: *Abscindendum Carnifici coram M. gestate tua prius porrigam Caput, quam Deum & Evangelium ejus abnegem*, Oldenb. ad I. P. p. 4. d. 1. §. 23. Et cum Deus ipse bonæ causæ assisteret, Imperator Carolus V justitiæ causæ evangelicæ commotus, tandem in certas *quasdam Pactiones* consentire necessum habuit v. Textor de J. Episc. in terris Stat. Proest. th. 52. Quibus durantibus A. 1548. decretum, quod *Interim* appellaverunt, Protestantibus quidem obtrusum, sed rejectum, & inita tandem A. 1552. *Transactio Passaviensis* quæ stabilita A. 1555. per *Pacem Religiosam*, pragmaticam Imperii Sanctionem, & hæc Pax quamvis in omnibus approbata esset Capitulationibus, nova tamen oriebantur gravamina, quæ refert Auth. *Comitiologia Ratisbon. p. 107.* Accedebat Bellum Tricennale, Motus Bohemici & Ferdinandi II. de A. 1629. Edictum de Restituendis bonis Eccles. Hinc iterum A. 1648. au-

auxilio inprimis Regis Sveciæ, Pax Osnabrugensis feliciter ob-
tenta, quæ ultimum addidit implementum Potestati Ecclesia-
sticæ nostrorum Principum; Non ac si novum ibi acquisitum
Jus sit, sed jam acquisitum & ultra seculi decursum exercitum,
confirmatum tantum est, & sine novatione ulteriorem hic
accepit declarationem, *I. P. art. V. §. 29 lin. 3. Oldenb. p. 2. d. 1. §. 2.*
Hoc est Palladium & arx inexpugnabilis Evangelicorum &
tantæ Pacificationis exemplum, quamdiu orbis stetit, nun-
quam extitisse, nec simile apparuisse, verissimum est, illustr.
Dn. de Jena de *Rat. Stat. D. 20. c. 30.* Nec est, quod addamus
quædam de ipsius Perpetuitate, satisfecit Dn. Conring de *Pace
perpet.* & ipsæ Capitulationes & Leopoldi & Josephi §. 2. verb.
als ein immerwährendes Band / omne sustulerunt dubium.

§. X.

Quod igitur sepulta potestate Pontificis libere uti suo,
quatenus non Pactis modificatum, possint Jure acquisito Prin-
cipes, expeditum est, & illa inde decisionem recipit quæstio,
quo titulo id hodie exerceant Principes Evangelici? Communis hæc
Doctorum opinio est, non accepisse id, sed recepisse Princi-
pes, Schilt. *J. Can. l. 1. c. 2. §. ult. Tabor de Reg. Eccles. §. 23. Linck
de Concord. N. G. c. ult. §. 3.* Imo postliminio quasi restitutos es-
se, Reinking de *Reg. Eccl. §. S. L. 3. c. 1. n. 1. Oldenb. p. 1. D. X. §. 7.*
Göckel *c. d. reb. 14.* Verum jam supra ostensum, Principibus
Imperii, paucissimis exceptis, olim jus circa sacra non com-
petuisse, ergo nec restituti proprie dici possunt; imo notissimi
Juris est, restitutionem esse stricte intelligendam; Quod si
verum, magnum Principibus contingeret præjudicium, cum
ex præsupposita hypothesi sequeretur, illos nihil amplius esse
consecutos, quam quod habuerunt antea. Rectius igitur di-
citur, accepisse hanc Potestatem Principes in Pacificationibus
Religiosis, & quidem per *Conventionem & Pacta*, ita ut se instar
Partis habeat Imperator, quod ipsa *Vox Convenire* hinc inde,
inprimis in *I. P. O.*, ut *art. 4. §. 5. art. 5. §. 1.* adhibita, satis ap-
probat, nec dissentire videtur Dn. Conring. *animadvers. in Bull.*

Innoc. c. VI, qui omne quoque dubium, *an pacisci potuerint*, eruditissime *in tr. de Pac. Perp.* ut & *Syring de P. Relig. th. LVI.* resolverunt.

§. XI.

Ex iis simul liquet, non satis caute alios, quos inter sunt, Knichen *de snblim. territ. f. c. 3. n. 149.* Carpz. *Jur. Pr. Conf. L. 1. d. 2. n. 6.* Oldend. *p. 3. D. 1. §. 6.* soli superioritatis territorialis titulo adscribere J. Sacrorum Principibus nostris competens. Quamvis enim hoc admittam, considerata Superioritate territoriali, prout illa hodie Legibus Imp. fundamentalibus stabilita; Non tamen id sufficere puto, si superioritatem illam in se considerem. Nihil enim amplius prætendere hic Principes circa sacra possent, quam quantum Juris habent Imperatores in Imperio; Sed quam exiguum hoc post Concordata Germaniæ sit, quis non videt; & praxis hodierna testatur, nequidem dispensare posse Imperatorem, ut fratrum filii nuptias contrahere possint, sed omne hoc ab Episcopis petendum, quis vero hoc nostris Principibus denegaret. Imo si ex sola superioritate dependeret, quomodo succurri posset Nobilibus Immediatis, *de qu. §. sequ.* cum ipsam superioritatem Territorialem ipsis non competere certum sit, Ill. Dn. de Rhetz. *in f. P. l. 2. t. 1. §. 39.* Oldenb. *p. 1. D. XXII §. 5. in m. ibique cit.* Nec obstat, quem pro sua allegare solent opinione Doctores, §. 30. a. 5. l. P. verb. *Haftenus usitata praxi &c.* nam (1) verba ipsa subsequencia id usitatum jus in pace religionis primo concessum esse testantur, & sic (2) Vox *Haftenus* principium recipit ab ista tantummodo Pace. Hinc neque quid adversi ex *art. 8. §. 1. verb. antiquis suis f. &c.* oritur, quoniam eandem patitur ille locus explicationem, ibique expresse dicitur, quod *vigore hujus Transactionis Jus territoriale stabilitum sit*; Thesis itaque ista nobis firma remanet, *nec restitutos esse, nec ex simplici, sed pacto Legibusque religiosis confirmata superioritate,* suspensaque auctoritate papali, omnique Jurisdictione Ecclesiastica Territorio vi illius pacti conjuncta, seu ex *Jure territo-*

vii & Paolo, ut loquitur Christ. Mingius de superior. Territor.
Qu. 5. §. 61. Jus illud sacrorum habere Principes.

§. XII.

Principum autem nomine non hic intelligo tantum *Status Imperii* sed omnes *Immediatos in Imperio*; Illi quidem sub his necessario comprehenduntur, cum Status esse nequeat, qui alteri excepto Imperio & Imperatore, subest; Hi vero excludunt mediatos, ut omnes *Apannagatos*, qui remanent, sub regimine Domini territorii, illustris, DN. de Jena de *Rat. Stat. D. 20. c. 4.* quorum exempla ubivis obvia; Nec est, quod de *Immediata Nobilitate & Civitatibus Liberis* verba faciamus; Illis enim §. 28. art. V. I. P. insigniter prospectum, His §. 29. & notum Civitates Imperii liberas quoque Status Imperii esse; Ergo non privandi sunt aliorum Statuum eminentia, reali scil. quamvis ad dignitatem illorum personalem non adscendant. Vid Syring. de *P. Rel. tb. 39. 40. 41.* Oldenb. p. 1. D. 22. per tot, Springer de *P. Rel. c. X.* Besold. de *J. Imper. Civit. in immut. Relig.*

§. XIII.

An autem Religionis discrimen diversum Jus faciat, adhuc inquirendum restat; Quoad receptionem inter Reform. Luther. & Cathol. nulla in Imperio diversitas, nec ullum discrimen Politicum, *Cap. Leop. & Jos. §. 19 f.* Illustr. DN. de Rhetz. J. P. L. 2. t. 1. §. 41. & de *J. circa sacra c. V. n. 3.* Catholici autem in Instrumento Pacis aliisque Legibus fundamentalibus contra Papam nihil habent præsidii. Quamvis enim omnibus in Imperio Principibus æqualis tribuatur eminentia, dum sub augustissimo superioritatis territorialis titulo plenam fere Majestatem, quamvis cum quadam Veneratione Majestatis Imperatoris habeant; Attamen præconcepta opinione fascinati Principes Pontificii, ex cæco quodam obsequio erga sedem Papalem, sibi id Juris asserere non audent, quo revera gaudere possent. Et inde in Instrumento Pacis ut & Capitulationibus, Pontificis auctoritas, quantum ad hujus Religio-

nis

nis Principes expresse stabilita, & quoad solos Evangelicos suspenſa, horumque ſuperioritati territoriali mediante ſolenni illo pacto adſcripta, ut ſic non injuſte dicas, Pontificios Principes, plusquam dimidia ſuæ ſuperioritatis parte carere; Conſentit DN. Conring. *d. diſſ. circ. Sacr. tb. 54. nec non Brunnem. J. E. l. 1. c. 2. §. 27.* atque idem tenet Hiſpaniam fatum, aliaque regna, quibus an immerito Galli, *ſuum eſſe Libertatis, cetera regna obedientia* objiciant, judicare cuius in propatulo eſt; Hoc enim certum, nihil vel non multa, quæ ſunt alicujus præjudicii, ibi poſſe Pontificem, *Limn. de Not. R. Franc. l. 3. c. 1. per tot.*

CAPUT II.

De

Qualitate Juris Sacrorum Evangelicis Principibus competentis.

- | | |
|--|--|
| <p>§. 1. Terminorum præjudicia evitanda ſunt.</p> <p>§. 2. Quod male ꝑ. Principum in Sacris dicatur Episcopale.</p> <p>§. 3. Quomodo dicatur alias.</p> <p>§. 4. An recte Jus Diœceſanum, & quid ſit.</p> <p>§. 5. Ejus objectum. Quid Principi liceat circa cultum ipſum & Doctrinam.</p> <p>§. 6. Ubi id jus expedire ſoleant Principes, an per Laicos, aut diverſe Religionis Conſiliarios.</p> <p>§. 7. Quomodo id à Jure Conſistorii & Episcopali diſtinctum ſit.</p> | <p>§. 8. An jus Papale noſtris competat Principibus.</p> <p>§. 9. Obj. (1.) quod Pontifici expreſſe nihil ſit ſublaturum. (2.) quod ceſſare dicantur & ſine ſuſpenſa iſtiusmodi jura.</p> <p>§. 10. Quilibet Princeps Papa eſt in ſuo territorio, imo plus poteſt quam iſte.</p> <p>§. 11. Nec Imperator nec ſubditi ſe opponere poſſunt exercitio hujus Juris.</p> <p>§. 12. Annon ſic introducatur Novus Anti-Chriſtus Politicus.</p> <p>§. 13. Concluſio.</p> |
|--|--|

S. I.

§. I.

Verbis immorari aliquando quidem supervacaneum est, utile tamen omnino, si à vocis significatione ulla peti potest decisio; Sæpe rebus termini imponuntur, qui perpetuo laborant vitio, nec leve gignunt Domino præjudicium; Sic jus illud Sacrorum, de quo hic agitur, quod nostris competit Principibus, *Episcopale* dici solet, idque communiter invaluit, J. W. Textor *Diss. de J. Episcoporum in terris Stat. Protest.* Carpzov. *L. 2. Jpr. Consist. D. 334* Myler ad Ehrenb. *de Stat. Imper. c. 82. n. 5.* Struv. *Progymn. int. C. de Episc. Aud. l. 13. qu. 1. §. 2.* Syring *de Pace Relig. Concl. 15.* Mingius *de Superior. Territ. c. 5. §. 62.* Gisbert. Voet. *Polit. Eccl. p. 1. L. 1. tr. 2. c. 5. qu. 5.* Göckel *de Majest. Relig. 7. th. 30.* Linck *de Concord. c. ult. n. 25.* Verum videtur mihi hæc ipsa vox non sine præjudicio; Confiteor quod Jus Episcopale ipsis competat, ast id ipsum nimis angustum est pro Principum Evangelicorum eminentia in Ecclesiasticis stabilienda, quod etiam in transitu notavit D. Oldenb. *ad l. P. p. 1. D. X. §. 16. p. 3. D. 1. §. 6.*

§. II.

Et ne tantum hæc dixisse videar, probationem suscipiam. Jus Episcopale dividitur in III, ab aliis in IV partes, *Ordinis, Legis Diocesanae, Jurisdictionis* seu potius *Audientia & Dignitatis Episcopalis*; Hæc omnia autem Episcopis tantum dependenter competunt, salvo semper Jure Pontificis; Nostri vero Principes nullum superiorem in suo territorio quoad Ecclesiastica agnoscunt; Non Imperatorem, utpote, qui Jus circa Sacra non usurpat, sed voluntaria abdicatione illud resignavit in manus Pontificis; Non Pontificem, quia hujus Jurisdictio Ecclesiastica in territoriis Protestantium suspensa. Tanta ergo inter Jus circa Sacra nostrorum Principum & Jus Episcopale est differentia, quanta apud Romano-Catholicos est inter ipsum Papam & Episcopum. Exemplis rem porro illustrare liceat: Competit tantum Episcopis Audientia, seu improprie sic dicta jurisdictio, *et. C. de Episc. Audient.* Principibus autem

C

vera

vera, omnis, summaque in Ecclesiasticis competit Jurisdictio, *I. P. art. V. §. 7. Dioces. 48.* Adscribunt Doctores his vi J. Episcopalis curam Academiarum, D. Brunnem. *J. Eccles. L. I. c. 6. m. 12. §. 12.* Constituendi Scholas, Illustr. Dn. Seckendorf *cit. tr. p. 2. c. 11. qu. 4.* Vel plane, ut quidam dicunt, Gymnasia; sed & Academias ipsas introducendi potestatem habere eos, infra deducetur. Adscribunt vi hujus juris illis potestatem constituendi Pastores, Dn. Linck. *de J. circa Dissid. Relig. cap. 2. §. 33,* imo quod ridiculum, etiam ædituos; Adeo non sufficit, ex Jure Episcopali Jus Sacrorum Principis definire velle; Irresponsales potius fiunt fere omnes istæ quæstiones, an curam Ecclesiasticam, jura visitationis, Synodos instituendi potestatem habeat Princeps; Sunt enim hæc vulgaria Episcoporum jura, majus autem qui potest, quare ipsi prohibeatur minus. Si Principes ipsos Episcopos constituendi potestatem habent, omnino plus poterunt, quam Episcopi. Confistoria, quod exercent Jura Episcopalia satis notum, *Mev. p. 3. Dec. 257. n. 2. p. 4. D. 137. n. 2. Brunnem. J. Eccl. L. 1. c. 6. m. XI. §. 3. & m. XII. adnot. §. 6. verb. per sua Confistoria. & §. 12. & L. 2. c. 3. adn. §. 3.* Nec unquam disputata Principibus eorum introductio, Illustr. Dn. de Jen. *de Rat. Stat. D. 20. c. 4. f. Conring de Episc. Constit. rh. 46. 47.* Sic in Pomerania Electorali à Serenissimo Elector. gloriosiss. memoriæ FRIDERICO WILHELMO libere constitutum est Confistorium, *Pomrisch. Regierungs Verfassung de A. 1654. t. 2. &* quamvis jura Episcopalia exercent Confistoria, non vero Jus Summum Sacrorum habent; Hoc Principes habent illimitatum, Confistoria tantum delegatam potestatem, *Mev. part. 5. Dec. 9. num. 9. Brunnem. l. 3. c. 1. adn. §. XI.* Firmum igitur est, quod Jus Episcopale tantum sit Jus quoddam subordinatum, & quod appellatio ista sit longe infra dignitatem nostrorum Principum.

§. III.

Rectius quidem id ab aliis appellatur Jus *Majestaticum circa sacra, Superioritas sacra, Jus Patronatus regium, Jus territorialia.*

teriale Ecclesiasticum; Quamvis qui territoriale aut superioritatis id dicunt, communiter ita loquantur ex præsupposita opinione *c. 1. §. 11.* refutata; Jus Patronatus Regium non satis congruit, cum tantum species summi J. Sacrorum, & nihil aliud sit, quam jus Protectionis Dn. Brunnem. *J. Eccl. L. 2. c. 8. §. 1.* Alii circa *Sacra* dicere maluerunt, ut Conring. & Hugo Grot. *de Imp. S. Pot. circa Sacra*, cujus hanc reddunt rationem, quod *Jus Sacrorum* potius Res ordinis spectet, *circa Sacra* autem sit latius; Verum cum hoc tantum sit consequens istiq, sicut dispositio *circa rem* est consequens *Juris Rerum*, arridet mihi generalis appellatio *Juris Sacrorum*, v. Dn. Præs. *ad Brunn. J. E. L. 1. c. 6. m. 12. §. 1.* Sed cum hæc vox *circa* sæpe adhibeatur pro *erga* seu *quoad* ut in *l. nec quicquam. 9. §. circa Advocatos ff. de Offic. Procons.* sæpe etiam pro *juxta* ut in *l. qui duo 30. ff. de servit R. Prad.* vel pro *In*, ut in *l. circa 24. ff. de inoffic. Testam.* Strauch *Lex. Part. Jur. voce circa n. 1.* non opus erit, ut disputemus de voce satis ampla, modo de re ipsa conveniamus.

§. IV.

In Pacis Instrumento hoc Jus Sacrorum speciatim appellatur *Jus Diacesanum*, non à Lege Diacesana, secunda parte *Juris Episcopalis*, sed publica auctoritate comprobata & ad eminentiam Papalem evecta voce in *§. 7. Diaces. 48. art. V. L. P. O.* Hinc ipsa vox utrumque, quod requisivi *c. 1. §. 10. 11.* indigitat, non tantum Legis concessionem, Pontificiæque potestatis publica conventionem factam suspensionem, sed ipsam etiam superioritatem territorialem summam sine ullo recursum ad Pontificem in Ecclesiasticis Jurisdictionem annexam habentem; Territorium enim in Ecclesiasticis, de quibus hic agitur, Diacesis nomine venit, *c. pro utilitate c. 16. Qu. 1. D. Ziegl. ad Lancell. l. 1. t. 27. §. 21. ad verb. in ejus territorio*, Et sic ex L. L. Imperii *Jus Diacesanum est potestas summa exercendi omnia jura Ecclesiastica totamque Jurisdictionem Papalem cum singulis speciebus ex Legibus Imperii competens.*

C 2

§. V. Sum-

§. V.

Summa autem ista Potestas versatur præcipue circa tria (1) *Doctrinam* (2) *Disciplinam* (3) *Res & Bona*, seu quæ à B. Conring. *diss. circa Sacra tb. X.* ita exprimuntur: (1) circa *cultum divinum* in se spectatum (2) *Personas* cultui destinatas (3) *Res & bona* ad cultum necessaria. Quibus singulis immorari, temporis ratio non permittit, id saltem videre liceat, an *sicuti Episcopi, etiam Principes nostri Sacra administrare valeant?* Notum est, RICHARDI Ducis Franconiaë exemplum, sacra facientis evaginato gladio ante se altari imposito, M. Mager *de Advoc. arm. c. 7. n. 303*, Ast non est tuum ò Uzia adolere Jehovæ, sed Sacerdotum. Hinc merito excludo cuncta, quæ Ecclesiasticorum ministrorum absolvunt officium, seu quæ sunt Ordinis proprie ita dicti, ne quod Apostolis ad mundanam adspirantibus eminentiam regerebat Salvator, Reges mundi dominantur, *Vos autem non sic*, hoc quoque Principibus vice objiciatur versa; Et notandus sane Hobbesius, qui in ominosi nominis tractatu *Leviathan* dicto, omne sacerdotum munus vindicat Principibus, quem extra totius Christianismi limites procurrere & eapropter refutandum non esse censuit celeberrimus quondam in Belgio Theologus Gisbert Voetius. Quis ergo clavium potestatem *Math. 18. v. 18* solis Apostolis eorumque in officio successoribus datam, Principibus adscribere vellet, & quis Principum sibi Sacramenti administrandi licentiam sumeret? Non Sacerdotalem, sed imperialem habere eos potestatem deduxit Dn. à Seckend. *cit. tr. p. 2. c. 11. q. 4. 5.* Interim tamen, quæ sunt ordinis, certis Legibus circumscribere potest Princeps, quatenus illa externam respiciunt curam, quam indistincte ipsis, fori interioris administratione remota, adscribunt, modo nihil Juri divino contrarium admittant, Carpzov. *J. Consist. L. 2. D. 98. & 107.* Ill. Dn. de Jen. *de R. Stat. Diss. 19. c. 6. & ult.* Pufend. *cit. cap. vom Pabst §. 5.* Sic jus absolvendi à peccatis *dogmatica* potestatis est & formaliter ad sacerdotes, licet etiam objective ad Principem, pertinet;

net; Aft subortas in religione decidere contentiones, Synodos convocare, inordinata revocare &c *architectonicum est*, idque Majestatis summæ, Dn. Brunnem. *J. E. L. 1. c. 2. §. 14.* Constitutionem igitur, de *A. 1680.* in Pomerania à Sereniff. Electore FRIDERICO WILHELMO gloriosissimæ memoriæ latam, quæ inter alia etiam concionandi horas, confitendi tempora denominat, sepulturarum solennium, quæ ante necessitatis erant, libertatem concedit, Concionatorum affectibus modum ponit, punit plures quam tres in Baptismo adhibitos testes, ut & ejusdem *Edictum d. A. 1684. d. 27. Mart.*, quod indistincte Evangelicis subditis ob conscientia animæque periculum interdicit, liberos tradere informationi Jesuitarum, quis injustitiæ accusaret, seu Auctorem incompetentis Potestatis argueret.

§. VI.

Cæterum hanc summam in Sacris potestatem exercent Principes communiter in Consilio Secretiori, Brunnem. *J. E. L. 1. c. 6. m. 12. §. 1. & L. 3. c. 1. §. 11.* Carpz. *J. Consist. 1. def. 12.* Aft nullum subest dubium, quin alij Collegio hæc committi possit, ut Consistoriis aliquando, quæ tamen regulariter tanta non gaudent potestate; Nec obstat ejusmodi Collegiis aut Consiliis Secretioribus, quod tantum constent Laicis. Sufficit enim, si modo isti Juris Ecclesiastici sint satis periti, *Mev. p. 4. D. 1. n. 1. 2. 3.* Ziegl. ad Lancell. *L. 3. t. 4. §. 4. not.* Interim securitatis majorisque cautelæ ergo Theologorum adhiberi solet consilium, *Mev. l. cit. n. 4.* idque bene observandum, *ne uni, sed diversis* res committatur, nam quod à pluribus quæritur, facilius invenitur; Tum neque, *si causa certam concernit religionem*, committatur decisio Consiliariis diversæ Religionis. Inter Catholicos & Evangelicos res per *§. 48. art. V. I. P.* expedita est; Evangelici quidem inter se certam ibi regulam non habent, aft succurrit tamen (1) eadem ratio. (2) Consequentia *art. 7. §. 1. f.* Ubi ut examen Vocandorum, si in territorio nullum adest, Consistorio etiam extraneo, sed ejusdem religionis commit-

tatur, sancitum legimus; Ad minimum denique istiusmodi Consiliarii, sicuti ipse Princeps non ex principiis suæ religionis, sed ex hypothese Doctrinæ Subditorum Jus decidendi exercent, *sequendo sc. Possessionem Legibus Imperii probatam.* Hæc de Collegio ipso.

§. VII.

Quatenus autem Consistoriorum eorumque Collegiorum supremorum Principis negotia distincta sint, adhuc indigendum. Consistoria tantum Jus ordinatum administrant, ordinandum autem competit Principi in Consilio secretiori; Deinde pro regula pono: *Quodcumque non est delegatum Consistoriis, hoc remanet Consilio Principum Secretiori.* Quid vero delegatum est Consistoriis? Hæc utique quæstio, *arg. l. 1. ff. d. Off. ej. cui mand. jurisdic. ex cujusvis Consistorii ordinatione, Legibus, praxique petenda.* Communiter tamen, cum Consistoria successerint in locum Judicii Episcopalis, quod in Papatu distinctum fuit, hæc Episcopalia jura habere dicuntur, *Mev. pag. 3. D. 357. num. 6. & p. 4. D. 137. Dn. Præses in annot. ad Brunnem. J. E. L. 1. c. 6. m. 12 §. 6. verb. Per sua Consist. & §. 12.* Quod tamen intellige exceptis iis, quæ sunt reservata; Sic omnes in Pomerania dispensationes in matrimonialibus Serenissimus noster non Consistorio commisit, sed sibi servavit, ad quem, licet illæ in in der Kirchen-Ordnung t. van Ehsaken §. van Graden in f. cognitione Consistorii subjiciantur, petentes remittuntur, uti *decretum memini ad supplicationem David Büssowen; weil diese Ehe in der Pomrischen Kirchen Agende ausdrücklich verbothen / und das Consistorium nicht bemächtiget / darin zu dispensiren / so muß Supplicant solches bey Sr. Churfl. Durchl. als welche ihm solthanes Jus reserviret / gebührend suchen / Stargardt d. 2. April 1692.* Reservavit sibi in Academia Francofurtana Jus Cancellariatus Dn. Præses *ad Brunnem. J. E. l. 1. c. 6. m. 12. §. 12.* In Marchia Jus confirmandi Inspectores, teste eodem *ad l. 1. c. 5. §. 25.* Cuncta ergo istiusmodi eminentia, & quæ superant Episcopalia Jura, *sc. Papalia,* solus administrat Princeps in suo Collegio secretiori.

§. VIII.

§. VIII.

Verum ut propius ad rem accedam, explosa apud Evangelicos auctoritate Pontificis, ejusque Jurisdictione Ecclesiastica territorio conjuncta, Jura singularia istius, etiam lucrosa, quæ habet adhuc in Catholicorum locis, pertinere ad nostros Principes ingenue affirmo, quod ipse §. Jus Diœces. 48. I. P. perspicue etiam attestatur, cum non tantum suspendat omnem Pontificis potestatem, sed etiam *intra terminos territorii cujusque Jus Diœcesanum & omnem Jurisdictionem Ecclesiasticam se continere dicat, & §. 26. ejusd. art. verb. conferans etiam Archiepiscopi & quibus aliis id juris &c. nemo subintelligitur, quam nostri Principes, quibus suspenso J. Papæ Jus in Capitulis æquale, quod ille habuit olim, competit; Hisque accedunt textus generales ut art. IIX. §. 1. verb. libero territorialis tam in Ecclesiasticis &c. aliique. Ex quibus cæterisque rationibus hoc fuit axioma: *Omne commodum, quod Pontifex vi suprema Jurisdictionis Ecclesiastica habuit, aut apud Catholicos adhuc habet, hodie ad nostros pertinet Principes.**

§. IX.

Nec obstat, quod Pontifici expresse nihil sit ademptum; Agnosco quidem inde aliquam Pontificiorum reverentiam, ast nihil exinde commodi accrescit Papæ. Quis enim non videt, quod §. 19. art. 5. I. P. sub verbo: *à quocunque*, lateat Pontifex, qui *ibidem in fine*, si non à jure, certe à juris executione, excluditur, in effectu tamen ipso Jure privatus est. Quid enim juvat habere rem sine usu, servitutem aquæ ductus sine via, Jus sine executione. *Cap. Leop. §. 19. & Jos. §. 18* graves minatur pœnas Advocatis præstantibus operam iis, qui in Civilibus ad Papam appellant; Quis ibi simul Papæ negatam esse potestatem recipiendi ejusmodi Appellationes, negaret? Sed *annon jus istud cesset?* Nova quæstio est; Sic cessare omne jus singulare Papale circa Annatas, confirmationes &c. communiter Doctores statuunt, *Syring de Pace Relig. tb. 29. Schilt. 7. Can. L. 1. c. 18. §. 4. Linck ad Concord. N. Germ. c. ult. n. 9.* Ast quare? Cessant

fant quidem in territoriis Evangelicis quoad Pontificem, non autem quoad territorii Dominum, quia in hunc jus Pontificis devolutum. Nec obstat §. 19. a. 5. l. P. ubi quidem cassantur generaliter istiusmodi jura, sed tantum ratione extranei, non Domini territorii, quod diserte indicant verba (1) *in Bonis Statutum August. Confess.* (2) *à brachio seculari impertienda*, quod solummodo respicit Papam. Nec obstat §. 48. ubi *tota Jurisdictio Eccles. suspensa dicitur*, cum potius *in ipso* §. omnis Jurisdictio Eccles. includatur territorii terminis, & sic expresse Principis adscribatur potestati. Suspendio ista *non negative*, sed *translative* cum pleno effectu intelligenda est; In Gallia aliisque locis notum, quod olim mortuo Pontifice Reges interim administraverint istius jura, *Duar. de Benef. l. 3. c. 3.* Papa autem civiliter mortuus in Evangelicorum terris in perpetuum. Et in primis notanda venit sollemnis Evangelicorum Electorum *in Cap. Leop. & Josephi art. 1. & art. 19.* stipulatio, qua sibi cavent, ne quæ ibi asseruntur Pontifici, horum Religioni & juri jam quæsito præjudicium inferant; Cujus omnino consequens est, quod sibi omne Jus circa Sacra, aliaque Papalia beneficia reservaverint illibata.

§ X.

His præsuppositis non immerito *Principes esse Papas in suo territorio* assero, non tantum eos, qui Episcopatus, non sub qualitate Ecclesiastica, sed seculari, Principali aut Ducali titulo possident, sed omnes territorii Dominos; Ratio ex dictis aperta est, & generali illa sanctione *l. P. art. V. §. 48.* nititur, quam quidem nullibi allegatam vidi, assertum autem ipsum legi apud *Feldman. tr. de J. in Rec. 21. §. 54. Oldenb. ad l. P. p. 2. D. 17. §. 2.* Et notabile omnino est, quod superiori seculo GEORGIUS Saxonix Dux, acerrimus alias Religionis Pontificiæ defensor & Lutheri juratus hostis, cum ipsi controversia quædam moveretur circa Balliviam Thuringensem Ordini Teutonico competentem, serio se in hoc fundaverit asserto: *Er wehre in seinem Lande selbst/ Kaysar und Teutscher Meister/*

Meister / prout de hoc ex actis ad illam Balliviam pertinentibus certo constat. Imo Nostri *non dici tantum, sed etiam plus facere, quam Papa, possunt.* Cardinalium hic plerumque consensu indiget; illi autem libere agunt ex summæ potestatis Ecclesiasticæ plenitudine, nisi pacta cum subditis inita obstiterint; illi cuncta Jure propitio agunt & legitimi sunt Possessores; Hic injustus est, quatenus limites potestatis ab Imperatore indultæ excedit; Nunquam Pontifex *Jus Regium Patronatus* h. e. *J. Protectionis*, quod fere in signum tantum sui Juris retinuit. Imperator *Cap. Leop. art. 1.*, habuit, quod tamen indubitato nostris in suis territoriis competit, v. Brunnem. *J. E. L. 2. c. 8. §. 1.* Post mortem Pontificis non admittitur luctus in Ecclesia; Sed quare non externū suum caput Ecclesia nostra externis lugeat etiam ritibus, v. Carpz. *l. 2. Consist. Def. 263. §. 11.* Caterum in hujus Juris Papalis exercitio, nec à subditis nec ab Imperatore ipso, nec ab alio turbari poterunt Principes: Quod ipsum expresse etiam cautum in *l. P. art. 8. §. 1.* ubi stabilitum vides *liberum J. territorialis tamen Ecclesiasticis quam Politicis exercitium, ita ut à nullo unquam sub quocunque pretextu defacto turbari debeant;* Notanter dicitur, *de facto*, via enim *J. Subditis* præclusa non est, qua sibi apud Imperatorem consulere possunt, justo nimis gravati, ut in possessione Libertatis circa Religionem defendantur, quatenus hæc Imperii legibus conformis est.

§. XII.

Ne autem mihi objiciatur, ac si hoc pacto introducatur *novus Anti-Christus Politicus*, brevibus addendæ quædam Thesis nostræ limitationes; *Abusus* jurium Papalium tot olim dedit bellandi, tot reformandi causas in Imperio, quod satis perspicue deduxit D. Hortleder *von den Ursachen des Teutsch. Kriegs.* Abusum ergo merito ab usu distinguimus; Hunc, non illum approbantes; Excludo omne id, quod *injustum*, omne quod *Sacris literis contrarium*; Deo enim magis obediendum, quam Principibus, qui non promero arbitrio, sed ex Juris Divini præscripto, recipiunt curam Ecclesiæ, & ita quoque jus Sacrorum exercent. Sane si nec alias, certe in

D

Sacris,

Sacris, non quid Roma fiat, sed quid fieri debeat, attendendum; Sic removeatur inexplebilis Pontificum, Decem ut inquit Præcepta in unum, sc. *Da pecuniam*, commutantium, avaritia. Removeantur injusti omnes acquirendi modi, quibus Pontifex emungit Germaniam, aliasque Respublicas. Alexandri VI. Pontificis filius, *Cesar Borgias*, cum ingentem summam ludo perdidisset, dixisse, ait perperam, fertur, *se perdidisse Germania peccata*. Quapropter ita Jus Papale Principes nostri, exercent ne quicquam Juri Divino, & Religioni Evangelicæ contrarium admittant, sed ubivis tam sui, quam subditorum Juris quæsitæ rationem habeant; Et huc pertinet der Pomrische Erb-Recesf. de A. 1569. daß die Fürsten wollen die Kirche und Capittel zu Cammin bey ihrem alten Stande und Wesen / so viel derselben Christlich / der Evangelischen Wahrheit und Augspurgischen Confession nicht wiederlich / erhalten; Jedoch Ihnen und Ihren Nachkömmlingen an ihrem Rechte und daran habenden Gerechtigkeit ohne Schaden.

§. XIII.

His generaliter præmissis, B. L. satisfactum erit titulo Disputationis; Nunc ad singularia quædam Jura Papalia occasione *Concordatorum Nationis Germanicæ* descendendum.

CAPUT III.

(1) *De Provisione ibique de Expectantiis &*
 (2) *De Confirmatione.*

§. 1. *Protestantes non obligantur Concordatis, tolerant tamen Capitula, & ipsi Canonici frui* | *illasa possunt conscientia præbendis.*
 §. 2. (1) *De Provisione in genere.*
 §. 3. *De*

- | | |
|--|--|
| <p>§. 3. De Canonici in aula decedentibus.</p> <p>§. 4. An & quando (1) Canonicus à Principe beneficio privari & (2) an ipse extraordinarie providere de istius præbenda possit.</p> <p>§. 5. De Provisione extraordin. ex J. Possessionis.</p> <p>§. 6. De Expectantiis in Genere.</p> <p>§. 7. Ipse Gratiæ non possunt vendi sine consensu Principis.</p> <p>§. 8. Quid de Expectantia cum clausula Anteferri.</p> | <p>§. 9. An aliquando non inique omnes, licet jam data, aboleri possint expectantia. Quid sentiendam de Adjunctionis modo.</p> <p>§. 10. (II) De Confirmationibus Papalibus.</p> <p>§. 11. Omnes etiam in Ecclesiasticis petantur Confirmationes à Principibus.</p> <p>§. 12. Quando petantur & quomodo.</p> |
|--|--|

§. I.

Jura Papalia ex Concordatis Germaniæ præcipue repetenda & quatenus illa nostris Principibus convenient videndum; Exinde autem plane non præsumas, ac si Jus nostrorum Principum ipsis competeret vi Concordatorum, quibus neutiquam tenentur Protestantes, vid. Linck. *Diss. de Concord. Germ. c. ult. p. tot.* Imo hi in *Capit. Leop. §. 19.* protestantur, se ne quidem ipsum Imperatorem ad illa adstringere velle, sed tantummodo ansam inde sumo inquirendi eo melius in jura Papalia, imprimis circa *Capitula*, quæ plerumque in quæstionem veniunt; Ubi simul præjudicialis se sistit quæstio: *an ista salva conscientia tolerari possint*, de qua disputatum acriter inter Hollandiæ Doctores, quos allegavit Dn. Præses in *Annot. ad Brunnem. J. E. L. 1. c. 6. m. 12.* Mihi placet affirmativa, modo corrigantur superstitiosa, removeantur illicita, & inconvenientia, Oldenb. *ad I. P. p. 2. D. XII. m. ult.* Tunc enim bona Conscientia quilibet sua frui poterit præbenda, si legitime vocatus, salutem Ecclesiæ, proximi bonum, consiliis, precibus, pietatisque officiis promovere studeat; Ista enim pia fuit Fun-

datorum intentio, Duar. *de benef. Eccl. L. 1. c. 18.* Sic Canonicos detertere nequit, quod deterruit J. de Lignano *de Plural. benef. n. 28.* scribentem, *se nolle bibere ut Prælatum, sanguinem deputatum pauperibus*, nec quod communiter vicariis, non Canonicis adscribant cœlum; Corruunt hæc omnia, si supponas illa, quæ brevibus adducta, & quamvis in plerisque Capitulis maximos adhuc latitare abusus non negem; Principi tamen vi Juris Papalis ad limites Juris divini exercendi omnino incumbit, hæc emendare, & omnia in eum dirigere finem, ut Gloria Dei, & Ecclesiæ salus rite promoveatur.

§. II.

Cæterum quoad Jura Pontificis in Concordatis reservata & Capitulis nostris applicanda (1) se offert PROVISIONUM materia; Provisiones hic sunt istæ reservationes, quando collatio extraordinarie fit à Pontifice, qua Ordinarii Collatoris manus statim ita ligantur, ut ab eo nihil, nisi quod ipso J. nullo, fieri possit; Illasque occasione dissensionum in electionibus sibi paulatim acquisivit Pontifex Romanus, D. Linck. *de Concord. Germ. c. 1. n. 28. 29.* Et licet ipsæ Provisiones nihil injusti contineant, injuste tamen, ubi preces vanæ fuerunt, vi illas exercuit Papa, J. de Selva *de Benef. p. 2. q. 1. n. 12.* ita ut usus principio responderet, qui potius in abusu consistit, & quamvis eapropter in Concordatis sit transactum; Attamen notum satis, quomodo adhuc hodie procedatur, vid. Ziegl. *ad Lanc. l. 1. c. 27. §. 14. verb. aut præbenda.* Modificatum autem, quem frustra inhibent Pontifici *Concordata C. 1.*, nostri recte sibi vindicant usum Principes; Rationes hujus assertionis suppeditant prædicta, & hanc ipsis deneganti potestatem, responsum in literis, quæ hic bene quadrant, PHILIPPI R. G. ad BONIFACIUM VII. Pontificem: *Sciat Tua sicutitas, nos in temporalibus alicui non subesse, Ecclesiarum & Præbendarum vacantium collationem ad nos J. Regio pertinere & fructus earum vacatione durante nostros facere, Collationes à nobis hætenus factas & in poste um faciendas fore validas, & illarum vigore possessores contra omnes viriliter*

nos

nos tueri; Secus autem credentes fatuos reputamus atque dementes. Sed nonnullos perspiciamus Casus.

§. III.

Cuncta beneficia, quæ extant in Curia Romana vacantia vi *Concord. c. 1. §. 1.* ut & illorum, qui tantum ad Pontificem profecti & ibi decedunt, *ibid. §. 5.* à sola Pontificis dependent provisione, Vallens. *ad tit. X. de Prabend. §. 2. n. 8.* J. de Selv. *c. p. 2. q. 1. n. 6. §. 20.* Etiam illorum, qui aliunde venientes ibi tantum mortui, vel saltem mortui sunt intra duas ab urbe diastas *b. e. in itinere duorum dierum, Linck. de Concord. c. 2. n. 2).* En insigne Principum nostrorum privilegium. Pono, mortuus quis Canonorum in residentia nostri Principis aut loco non distantis longe, quis ipsi contra Jus Papale denegaret conferendi Potestatem; Omnis Princeps Dominus est ordinarius omnium in suis terris beneficiorum, J. Staphil. *de Exsp. §. 1. n. 1.* Supremam habet Jurisdictionem Ecclesiasticam, quod autem Collatio sit Jurisdictionis Ecclesiasticæ, deduxit, J. de Selva *l. c. pag. 3. qu. 40. p. tot.* Nec contradicere possunt Capitula, quæ quod Pontifici propter Concordata Germaniæ præstandum fuit, nostris Principibus in jura ipsius succedentibus denegare nequeunt. Tum ingratus sane esset, qui benefactori invidere reservata. Imo à Papa tantum Jus eligendi concessum esse Canonis, tanquam ministris *in casum absentia*, dicit J. de Selva *p. 2. qu. 1. n. 35. 36. p. 3. qu. 66. 67.* Mortuus autem in aula, cujus ambitus voluntate Principis determinari potest, mortuus est, præsentem Domino, quo præsentem cessant ministrorum jura.

§. IV.

Sed quid de Civiliter mortuo? In omni præbenda vacanti per depositionem, privationem, translationem, & aut postulationis reprobationem providet Pontifex extraordinarie, Linck. *ad Concord. c. 2. n. 28.* Hinc duplex oritur quaestio, Ima, (1) *an Princeps aliquem privare possit Præbenda?* Papam deponere aliquem posse sine causa, inquit Garc. *de Benef. p. 5. c. 1. num. 2.*

Principem aliquando quidem posse sine culpa, aſt nunquam sine causa, ſcil. vel publicæ utilitatis, aut ſummæ neceſſitatis; Propter culpam autem, præſuppoſito ſcil. delicto, ſemper poſſe ſtatuo, imo etiam debere; Inter gravamina Germanorum contra Papam ſemper fuit, quod Clericorum perpetrata delicta non ſint punita, Dn. Schilt. *de Lib. Eccl. Germ. L. 7. c. 1. §. 10. grav. 31*, qui tamen omnino æqualem cæteris, ſi non majorem merentur pœnam, cum officium Sacrum in his augeat crimen; Hinc recte propter incontinentiam illos amittere beneficia, pariterque propter perjurium, homicidium, docet Duaren. *de Benef. l. 8. c. ult.* imo propter omne crimen infamans, per ea, quæ habet Maro. Ant. *de Domin. de Republ. Eccl. L. 2. c. 10. n. 83.* eoque etiam refert Duar. *l. c. c. 3. §. 4.*, ſi quis ſibi amputavit virilia, aut caſtrare curaverit; Addo arg. eorum, quæ habet Garc. *de Benef. p. 11. c. 3. n. 107: Quoties factum irregularitatem plane inducit, toties ipſo ꝑ. privantur facientes præbenda, nec ut accedat ſententia, neceſſitatis eſt.* Ad iſtam irregularitatem refero etiam inhabilitatem poſſidendi beneficium, ob amiſſam qualitatem Lege Imperii publica requiſitam; Sic quæ beneficia Eccleſiaſtica *A. 1624. d. 1. Januar.* Evangelici poſſederunt, illa ipſis porro relinquenda; Quod ſi ergo Evangelicus Canonicus ad Caſtra Pontificiorum tranſeat, mox à territorii Domino præbenda ſua privari poteſt; *v. Inſtr. Pac. art. V. §. 15. & §. 24.* Et ex hoc capite Sereniſſimus Elector Saxonix agnato ſuo Dno. CHRISTIANO AUGUSTO, ex domo Ziceniſi nato, poſtquam Evangelicæ Religioni renunciaviſſet, Balliviam in Thuringia ad Ordinem Teutonicum pertinentem ademit; Cui quidem Magiſter Ordinis Teutonici, Dux Neoburgeniſis acriter ſe oppoſuit, cauſæ cognitionem ſibi vindicans, quia Ballivia illa ad Ordinem Teutonicum pertineret; Sed cum illa Ballivia territorio Electorali immediate ſubjecta, ~~ſi in~~ unde etiam dicitur, *die Land (Ompteren) Inſtrum. Pac. art. V. §. quantum deinde in ꝑ. expreſſe diſpoſitum*, nulli Statui immediato Jus, quod ipſi ratione territorii & Superioritatis in negotio religionis competit, impediri debere, merito

merito Duci Neoburgico oppositum fuit, quod jam supra adduxi, ein jeder Fürst ist Pabst/Kaiser und Teutschmeister in seinem Lande/ hinc nulli alii de bonis Ecclesiasticis in territorio sitis cognitionem concedere tenetur. (2) nunc quaestio succedit, an Princeps ejusmodi beneficium uni ablatum, alteri dare & sic extraordinarie providere possit? Et hoc affirmo ex J. Principis acquireto; Si enim Pontifici per Concordata ex versione Goldasti cap. 1. n. 3. verb. item wann durch den Pabst jemand abgesetzt id licet, quare neque liceret nostris Principibus, ad quos ipsius Jura devoluta scimus; Et quid convenientius juri, quam ut dissolvens iterum constituat, quod dissolvit. Imo Capitulum potestas tantum ad casus ordinarios, ut qui morte naturali contingunt, restricta esse videtur; Nec obstat, quod deposito per Consistorium Pastore, nihilominus jus alium eligendi competat Patrono; Huic enim id Juris concessum, quod ibi à Pontifice reservatum, & sic Principibus nostris denegari nequit à Capitulis, quæ Jus potius contra Dominum suum per Reformationem plane non sunt consecuti.

§. V.

Porro ad extraordinariae Provisionis materiam vi Concordatorum, pertinet adhuc *Casus Vacantis beneficii, quod conferre solitus est Pontifex, seu ubi in possessione conferendi fuit.* Sic enim dicitur in Concordatis cap. 1. §. 5., item welche pfründen durch den Pabst/ oder aus achtung seiner Brieffen ohne Mittel friedlich erlangt sein / so dieselbigen wiederumb verledigt werden ic. Nunc quidem confiteri cogor, Principes nostros vix allegare posse casum suæ Provisionis extraordinariae, qua possessionem quandam acquirere potuissent, cum plerique hoc jus sibi competere nesciant; Ast quin ex Jure exercito Pontificis sibi eandem collationis extraordinariae potestatem in beneficiis, ubi id iste exercuit, arrogare possint, sine ulla Juris Capitulum contradictione, non dubito; Eo autem merito respiciendum, an Papa & per consequentiam etiam Princeps legitime venerit in possessionem, violentam enim ipsa excludunt Con-

coro

cordata all. loc. verb. ohne Mittel friedlich; Excludunt quoque istam possessionem, quam pretendere posset ex Gratiis Expectativis, quibus in casu, ubi Pontifex neque extraordinarie, providere potuisset, tamen subscripserunt capitula, *ibid. verb. ausgenommen so einer durch die Gratiis Expectativen in possessio gekommen wäre*; Alias enim data Expectantia idem, quod alius providendi modus probaret, *sc. Jus possessionis.*

§. VI.

Cum vero hic in Concordatis incidenter de Expectantiis agatur, nec hic plane istius erimus immemores materiae, & quidem *Expectantias*, quas Papa adeo frequenter dedit, *an. etiam nostri Principes dare possint*, hac occasione tangendum est; Nullum certe remanet dubium in casu, quo alias provisio seu collatio competit Principi, & quamvis veteres Pontifices eas dare noluerint, *Gomes de Grat. Exsp. n. 2.* Nihil tamen obstant ea, quae communiter objiciuntur, ut Votum captandae mortis, & quae sunt alia; Merito enim separatur vitium personae, a re ipsa, & sunt paria facere quid tempore licito, seu prorogare in tempus permissum, *conf. J. Staphil. & Ludov. Gomes. tr. de Grat. Exspectat.* Verum in Patria mea, quod singulare est, expresse sancitum in *Rec. Provinc. de Ann. 1654. ad c. 3. n. 8.* *Das niemanden vor seine Kinder auff Prelaturen Primarien sollen ertheilet werden*/ quod bene sancitum esse evidens evincit ratio.

§. VII.

An autem ab Expectante vendi possint Gratiae, majoris indaginis quaestio est; Affirmativam continua praxi stabilitam scimus, *Dn. Praeses Diss. de Exspect. c. 5. n. 39.* Refertque jam supra citatus *Rango de Orig. Pom. p. 118* ipsam Episcopalem dignitatem venditam esse *Martino Caritbo*, in Historiis non ignobili, Episcopo - Camminensi; Verum de Jure improbandas esse ejusmodi venditiones beneficiorum arbitror; Nulla enim dignitas cedi potest, quia personalis est, nam personalia osibus adherent, quod maxime in Ecclesiasticis procedere debet, quippe emptor committit Simoniam, *secundum Duar. l. VI. c. 2, qui l. 8.*

c. 39.

c. 3. ne permutationem quidem admittere vult, nec substitutionem, ubi eligens ad personæ respexit qualitates, D. Ziegl. *ad Lancell. l. 3. t. 2. §. 9. n.* Affirmativam quidem ita limitare solent Doctores, *si in æque dignum transfertur*, sed quis de hac idoneitate iudex? Firmum igitur, quod jure duo inter se de Beneficio, ut de re, respectu ipsorum non alienabili, contrahere non possint; secus autem, si accedit consensus superioris. Sic *Duar. l. 8. c. 3.* cum consensu Papæ id admittit, quare ergo neque cum consensu nostrorum Principum? Et iste actus tunc instar novæ provisionis seu collationis esset.

§. VIII.

Verum *quid Juris in Expectantia cum cl. anteferri?* De effectu istius nihil dicam, vid. *Brunnem. Cons. 152. n. 5*, nec an potius jus habeat alter, cui jam tradita est præbenda, arg. *l. 15. C. de R. V.* inquiram, vid. *Dn. Brunnem. J. E. L. 2. t. 4. §. 5.* De illo potius sollicitus, *an Princeps liberam dandi ejusmodi expectantias habeat potestatem?* Pontificem sibi ligare manus nunquam per ulla posse indulta, inquit *Staphil. de Exsp. Cap. Posthac in literis num. 12.* An hæc etiam simpliciter de nostris tuto asserere possimus Principibus, hæreo; Legem quidem sibi nemo imponere posse dicitur, à qua recedere nequeat; Vera tamen hæc tantum puto, quatenus nondum alteri Jus quoddam quæsitum. Sic novi, certis sæpe familiis beneficium *anteferri* competere ex Privilegio Principis in quibusdam Dignitatibus, idque nihil injusti continet. Sed data semel expectantia, Jus alter jam habet ad Præbendam; Jus quæsitum autem Princeps tollere nequit, eo minus, quo majori fide servantur promissa Principum, quæ instar Juramenti reputantur; Igitur aut plane non concedatur Gratia cum cl. *Anteferri*, aut satisfiat ad minimum, priori, nisi hic plane neglexerit jus suum; Merito enim & tunc Jus istius devolvitur ad secundum. *J. de Selva de Benef. pag. 3. qu. 34. per eos.* aut si publica salus, aliaque gravis causa exigat præposterationem, vid. *Illustr. Dn. de Jena de R. Stat. Diss. 18 §. 1. in f.* Alias non congruit Justitiæ regulis tam hoc, quam illud,

E

illud,

illud, quando inter stipendiarios primo Expectante mortuo, posteriorum quis cæteris præfertur, in istiusque ponitur locum, licet etiam addatur clausula: *citra consequentiam*, quæ injustitiam non corrigit, potius illam eo ipso indicare videtur.

§. IX.

Illam de casu, ubi tantum quis alteri præfertur; Quid si Princeps omnes ab antecessore jam datas Expectantias principio sui regiminis aboleverit, an juste? Ex causa hoc æstimandum puto, sæpius enim plures expectantiæ, quam officia adsunt. Pluræque sub & obreptitiæ sunt Gratia, quæ ipso Jure non subsistunt. Dignis nulla spes ita remanet ad munia Reipubl., cujus tamen maxime interest, iis esse repletam, arg. l. 12. ff. de Off. Pras. Hinc nullum mali hujus remedium melius est, quam ut propter abusum plane tollantur Expectantiæ, quæ neque ulterius valere videntur, quam quatenus dans vivit, quia post mortem dare nihil potest. Nec est, quod objicias; debere Hæredem præstare factum defuncti, Successorem promissa antecessoris; Hoc concedo, nisi sit contra utilitatem publicam, cui privata cedat, imprimis subditorum, quorum felicitas in felicitate Reipublicæ consistit, sicut Principis in felicitate subditorum. Verum *Adjunctionis modus* hodie fere expectantiarum loco venire videtur, & quamvis sint casus, in quibus recte ob alterius senectutem, morbum &c. adjungere liceat, Finckelth. de J. Patr. c. 6. n. 28. In fraudem tamen legis hoc multi sibi provident remedio, extra istiusmodi casus satis odioso, cum vel suspicionem arguat Ordinarii vel incapacitatem; Hæc incidenter ratione provisionis extraordinariæ tangere volui, quam in Concordatis excipit materia de CONFIRMATIONE, & sic

§. X.

Agendum II de illa, quæ Pontifici semper incredibilem attulit pecuniæ summam, Oldenb. ad l. P. p. 2. D. IX. num. 4. §. 7. Taxa ejus exhibetur in Vol. XV. Tr. Tractat. quo etiam Pallii receptio, optimus emungendi Germaniam hamus vid. Illustr. Dr. de

Dn. de Rhetz. *J. P. L. 1. t. 16. §. 15.* pertinet, illaque tantæ inter Pontificios esse reputatur necessitatis, quod investituram solum ab Imperatore accepisse Principes Eccles. non sufficiat, nisi accedat etiam Confirmatio Papalis, *ib. §. 18.* Quam quoque omnes Eccles. Cathedrales, Collegiatæ, Capitula &c. petere tenentur, *vi Concord. c. 2.* Nostri autem, qui adhuc hodie sunt Episcopi, qui etiam *Administratorum* utuntur titulo, istius plane non opus habent confirmatione, nec Pallio, aut alia Consecratione, per *I. P. O. Art. 5. §. 21. 22.*

§. XI.

De Principibus nostris inquiramus, an necesse sit, ut *ab istis omnes petant, etiam in Ecclesiasticis, confirmationes?* idque generaliter affirmare cogor, non tantum ex Jure Papali devoluto, sed notum est, quod Confirmationes sint pars Majestatis seu summæ Potestatis in Republica, *Schilt. J. Can. L. 1. t. 7. §. XII.* Hinc quilibet beneficiarius, quilibet Eccles. minister eam à Principe recipiat, licet non semper immediate, aliquando mediate per Consistoria, aut quibus ea delegata est confirmandi potestas, *D. Brunnem. J. Eccl. L. 1. c. 5. §. 25.* In Marchia autem Inspectores semper ab ipso confirmantur Principe, teste Dn. *Præf. ad Brunnem. c. 1. §. 25.* Miratur *Innocentius X* In *Bulla contr. I. P.* quod confirmationes electionum seu postulationum, Archi-Episcoporum, Episcoporum vel Prælatorum potestati seculari attribuuntur; Sed quis admirationi locus? Olim Imperatores hæc libere jam administrasse *c. 1. §. 2.* probavi, quare ergo neque Principes, qui in suo territorio idem, quod Imperator possunt. Adscribas id potestati seculari, nec errabis, cum confirmatio Episcopi sit quid mere civile, sc. approbatio personæ, quæ publico docendi munere fungi debet; Seu adscribas id summæ Jurisdictioni Ecclesiasticæ; Hanc illimitatam competere principi, jam patet ex prædictis. Et deniq; notandum est, quod si deficit Consistorium ejusdem Religionis, ordinatio quidem vocati ministri fieri potest extra provinciam, ast Confirmatio nihilominus à Domino territorii, per express.

§. 1. f. art. VII. I. P. petatur. Ex quibus istius necessitatem satis demonstratam puto, ita ut neque sufficiat presentis Principis taciturnitas, cujus expressus requiritur Consensus, per ea quæ habet, J. de Selv. de Benef. p. 3. c. X. n. ult.

§. XII.

Sed quando petatur & quomodo, communiter determinatum esse solet; In Concordatis certum tempus denominatum legimus, v. Linck. ad Conc. c. 2. n. 32. 33, quod etiam præscribere nostri possent, nec injuste; Et negligentes terminum Jure cadunt, ita ut Provisio fieri possit extraordinaria; Quod enim licet intra tempus, recte denegatur post tempus effluxum, Mandag. de Elect. Nov. Prel. c. 2. p. tot. Tum petatur cum reverentia, id. p. 2. form. XII. Tum ad certam demonstrationem, ita ut cum causæ cognitione fieri possit confirmatio, Garc. de Benef. p. 3. c. 2. n. 226. Persona enim digna sit beneficio; Dignis digna rependenda; Sin secus, merito de digniori prospicit Princeps, ut Pontifex vi Concord. c. 2. verb. und wo die nicht nach dem Päpstlichen Regeln und nicht Canonice geschehen so will der Pabst andere Fürscheidung thun. Tum offerantur Sportula, quæ instar fructuum Jurisdictionis sunt, ast merito benigne determinantur. Determinatam in terris Brandenb. summam in multis ratione confirmationis in Beneficiis Ecclesiasticis, exhibet das Reglement von den Marine Geldern d. A. 1691. §. 15. & 19.

CAPUT IV.

(III) De Mensibus Papalibique
de Prec. Primar. &

(IV) De Annatis.

- | | | |
|--------------------------------------|--|-------------------------------|
| §. 1. Menses Papales sunt Reser- | | media & ultima nocte mensis |
| vata a Principum. | | mortuus. |
| §. 2. De Casu, si quis beneficiarius | | §. 3. Restringuntur isti men- |
| | | ses |

ses per Primarias Preces Imperatoris.

§. 4. Idem Jus etiam Principibus Evangel. competit.

§. 5. An Imperatrici, & an à Serenis. nostra id rectè exerceatur?

§. 6. De Qualitate & J. Preciste; Quod longè differre velit Deus novum hujus J. exercitium.

§. 7. De Annatis Papalibus in genere.

§. 8. Nostri Principes justè annatas exigere possunt.

§. 9. Nihil iniquitatis habet exactio dèr Marine-Gelder/ qua in nostris terris usitata.

§. 10. An Pecunia maritima, & annata simul peti possint?

§. 11. Quomodo exigantur annatæ.

§. 12. Tenentur etiam Capitula præter hos casus ad subsidia extraordinaria, ut Belli, Landes-Schuldē/Gräuleinsteuer/Beerdemünze/ Bischoffs-Pächte

§. I.

PORRÒ sub *Cap. III.* occurrit in *Concordatis* materia *MENSIVM PAPALIVM*, qui etiam *Apostolici* dicuntur. Suntque nihil aliud, quam *Menses reservati*, in quibus ordinariorum cessat Electio; Sic cessat electio Capituli, si quis Canonicus mortuus sit mense *Januario, Martio, Majo, Julio, Septembri & Novembri*, in quibus vacantia confert ipse Pontifex, in cæteris autem non, si excipis casus extraordinariæ provisionis, de quibus *cap. antec.* dixi; Alternant igitur eligendo, *conf. Linck. ad Concord. c. 2. n. 36. & c. O'denb. ad l. P. p. 2. D. IX. §. 8. Befold. Tb. Pr. ad auct. Voc. Monath p. 645.* idemque reservatum rectè sibi etiam vindicare Serenissimum nostrum Electorem, inquit ill. *Dn. de Rhetz. J. P. L. 1. t. 10. §. 8. f.* Utique rectè, cum nulli Principum id denegari possit; Rationes repetere necessitatis non esse arbitror, quas hæc cum cæteris communes habet quaestio, nec obstare *§. 19. art. V. l. P. jam in generalibus c. 1. §. 9. deduxi.*

§. II.

Sed ratione exercitii hujus reservati juris controversi solet, si quis mortuus media nocte inter ultimum *Januarii* primumque

E 3

Febru.

Februarii, quis tunc conferendi jus habeat? Decisio hujus ex ista dependet quaestione, quo tempore incipiat Mensis, seu prima Mensis dies? Præsupponas autem me non loqui de die naturali, cujus initium nemo nisi cæcus non videt; sed de Civili, ita ut nox comprehendatur. Incipit autem quandoque dies à vespera, duratque ad vesperam usque, ut in feriis, c. 13. X. de temp. ordin. Quandoque incipit a termino cœnæ & durat ad lucem, ut in Jeju- niis c. 11 de Consecr. Dist. 3. Quandoque à mane, nec durat ultra horam, qua potest in negotio procedi, c. 24. X. de Off. & Pot. Jud. deleg., eoq; id pertinet: totus dies militat pro citato; Sed hæc fictio- ne potissimum Canonica. De J. Romano dies civilis incipit à media nocte, hora 12, duratque ad illam per l. more Rom. 8. ff. de Feriis ibique Dares, imprimis Gothofr. istaque definitio etiam in hac materia approbata est, ita ut duabus dimidiatis noctibus, luce media constet dies, & post horam 12 mortuus mense non Januario, sed Februario mortuus dicatur. Verùm quid si mor- tuus ipsa sonante hora? mortuus sequenti mense, cum ante pul- sum primum hora expleta est. Quid si diversa adsunt Horologia? standum horologio Ecclesiæ, ad quam locus, ubi quis mortu- us, pertinet. Quid si plane deficiunt Horologia? Ex cursu no- ctis, arbitrio hominum, aliisque indiciis, quo refer Gallicini- um, judicium ferendum est, conf. Garc. de Benef. L. 5. c. 1. n. 523. & c.

§. III.

Plane autem non sunt liberi isti menses, sed restrictio- nem quandam patiuntur, per PRIMARIAS PRECES, quæ nihil aliud sunt, quam potestas Imperatori competens, bene- meritis, aut semper idoneis tantum, beneficium vacans aut va- caturum per preces ad capitulum directas conferendi; Illæ- que nunquam rejici possunt. Originem exinde videtur trax- isse illud vulgare: *Es ist meine erste Bitte / der Herr wolle sie nicht abschlagen.* Dicuntur preces, & quidem Superioris, quæ in- star mandati reputantur; Rogando cogit, qui potentior rogat, addo, qui potentior justa rogat. Quid autem (1) si Pontificem spectas

spectas justius hoc reservato esse potest? Somniant quidam habere id Jus Imperatorem tantum ex concessione Pontificis, *conf. Gail L. 2. O. 155* & quos citat Dn. Fritsch. *de Primar. Prec. c. 2 per tot. Befold. Thes. Pr. v. Prim. Prec. 764. in med.* Sed satis refutatam vide hanc opinionem in *Conring. ad Bull. Innoc. X. pag. m. 189. & c. Oldenb. ad I. P. O. p. 2. D. 11. m. 2.* & revera dependet id Jus Prim. Prec. ex summa Majestate Imperiali. Reliquiæ sunt de S. Jurisdictione Sacrorum, quam exercuit olim Imperator, & quas nunc retinuit, velut tabulas ex istius naufragio. (2) Si Evangelicos spectas, neque injustū dici potest; Ante I. P. quidem fuerunt nonnulli Ddres, qui id disputare voluerunt, v. *Syring de P. Rel. tb. 31 & adde Fritsch cit. c. 4.* Ast subsecuto eo, omne dubium sublatum est, per *expr. §. ubi sacra 18 a. V. conf. Schwammanni conf. annexum Obs. Camer. per tot.* Sic ubi fuit in possessione A. 1624, ibi adhuc semper Jus suum exercet, idque *vi Pælli*, Imperator.

§. IV.

Ex quo titulo itaque sibi idem vindicant Principes? Ex eodem puto, quo Imperatores id primo exercuerunt, sc. ex summa Jurisd. summaque potestate Eccl., quam quilibet in suo territorio habet Princeps, & eodem recidit opinio illorum, qui superioritatem pro ratione ponunt, ex hac enim Legibus confirmata superioritate sacra, illa oritur summa potestas, vi cuius etiam Rex Galliarum hoc utitur Jure: *Le Roy pretend avoir le droit sur les prebendes des Eglises Cathedrales de pourvoir à la premiere, qui vient à vaquer apres son joyeux advenement à la couronne. Les anciens appelloient ce droit, Primarias Preces, pourceque du commencement ils ne conféroient point, mais ils prioient seulement les Eveques de conferer à ceux, qv' ils leur nommoient,* inquit *Bret. de la Souveraineté du Royl 1. tb 18 p. 139* & in Germania quidem exercuisse id quondam tempore Caroli IV *Gerlacum* Archi-Episc. Mog. testatur *Schilt. l. cit;* Ast non sine controversia, sine qua tamen hodie id exercere possunt Principes indubitato omnes, quod de Electore Brandenb. certum est, qui hoc jure in omnibus Capitu-

pitulis sibi subjectis utitur, teste Schep'itz p. 1. *Conso. March. Brand. t. 1. §. 2. & 3.* & *Preces* istius dicuntur vulgò *Electo- rales.*

§. V.

Dixi de Imperatore & Principibus, nunc de *Impera- trice*, quæ semper etiam in *Capitulis femininis* bey weiblichen *Stiff- tern*/als zu *Elevenberg*/hoc jus sibi arrogavit; Testes sunt cuncta, quæ extant diplomata, quorum nonnulla vid. in *Besoldo tr. de Mag. & Censur. ut & Fritsch. l. c. mant. 2.* Nec idem denegar potest Principissis Imperii, illudque non tantum Serenissima Ele- ctrix Brandenburgica libere exercuit semper, sed quoque, cum *Abbatissa des Stiffes zu S. Marien in Minden* subscribere nollet provisioni Electricis, paucos ante annos id in præsen- tibus Comitibus publice sibi asseruit; Recessum typis editum vide in *Schilt. de Lib. E. G. post indicem*, ibique diversas invenies Rationes; Hoc quidem verum videtur, ex J. proprio id posse nec Imperatricem, nec Principissas, nam licet habeant Maje- statem Dignitatis, non tamen Potestatis; Ast quare non ex *J. cesso Principis*? Sic notanda veniunt verba dicti Recessus: *geschützt auf Befehl. Sr. Churst. Durchl.*; Et quis prohibere potest Principem, ne cedat sui Juris administrationem? Objicis *sta- tum muliebrem*; Nec iste obstare potest, eo minus cum agatur de Electione foemina, & quod ex concessione Pontificis eti- am mulieres conferre possint beneficia, late jam deduxerunt *Petr. à Monte de Pot. Pontif. tit. de Imper. maj. orig. IV. n. 1. p. m. 153. J. de Selva de Benef. p. 2. q. 5. n. 1. Garc. de Benef. p. 5. c. 1. n. 622.*

§. VI.

De *Qualitatibus & Jure Precista* quædam adhuc, ast pauca addam; *Precista* iste dicitur, qui ita per Primarias Pre- ces promotus est, in istiusmodi genere Promotionis autem cuncta, quæ alias in eligendo requiruntur, adsint; Nequit igitur consulere Imperator inhabili, *I. P. art. V. §. 18.* aut deceden- te Evangelico nominare Catholicum, *ib. & v. Dn. de Rhetz*
circa

circ. Sacr. c. 4. n. 22. Alias autem neque præferri ipsi potest antiquiorem habens expectantiam, nam Expectantiæ præsupponunt terminos habiles, sc. legitimam vacantiam; Vacantia autem (*ut ita loquar*) tunc non datur respectu ordinarii eligentis, quando alteri exercitium Primar. Precum competit; Quod neque injustum puto in promotio Precista ab ipso Principe, cum cæteræ expectantiæ datæ censeantur, *Salvo hoc f. Prim. Precum præeminente*; Sed avertat Deus longè illorum gaudium, qui sic promoti esse optant, nam ut sit diuturna Candidatorum, qui spem in Rege Iosepho quærunt, expectatio, optare publicum & Imperii & Patriæ exigit interesse.

§. VII.

Denique *Cap. IV.* in Concordatis se sistunt ANNATÆ, quorum nomine Pontifex à quovis Episcopo vel minoris Ordinis Prælato seu Canonico primi anni proventus præbendales sibi vindicat, & Camera Papali adscribit. De Origine ipsarum, *v. tt. X. de Annat. Duar. de Libert. Eccl. Gall. n. 69. 70. Bursat. l. 1. Conf. 126. n. 96. & c. Gothofr. ad Nov. 123. c. 16. lit. K. I. Oldenb. ad l. P. p. 2. d. XI. m. 3. Linck. ad Concord. N. G. c. 2. n. 40 Strauch. de annat. c. 1. Sect. 1. & Diss. Exot. V. §. 19. 20.* Ibi quoque etiam, quare introductæ sint, invenies, quas communiter tradunt, rationes, sc. *expeditionem in terram sanctam contra Turcam* & quæ sunt aliæ. Sed quorsum procescit avaritia Pontificum? Qui concessio exigendi annatas Jure, non tantum adeo graviter abusi sunt, sed quod maximum, hoc ad tempus susceptum onus, summa cum iniquitate, nunquam tamen contenti, perpetuum fecerunt. Fertur Pius II. Pontifex ex Gallia 29 & ex Germania 20 tonnas auri percepisse, vid. *Hortled. de caus. bell. Germ. L. 1. c. 1. Strauch. Diss. alleg. c. 3. §. 1.* Donec Galli Ecclesiæ suæ vindicaverunt libertatem; Ast Germani sub onere remanserunt, qui tantam quotannis pecuniæ summam solvere tenebantur, & quod eò magis dolendum, in nullam Patriæ salutem; Hinc sæpissime quidem protestati fuerunt, sed protestatione facta, more solito cuncta peregerunt, nihilque gravaminibus effecerunt suis, *Schilt. de*

Lib. E. Germ. L. VIII. c. 2. §. 25. Conring, de P. Perpet, pag. m. 181. Potius jus per Concilium Basiliense, in quo damnata sunt Sess. 21. annata, acquisitum, neglexerunt iterum, donec reformatio, sicuti de cæteris omnibus, ita de hoc etiam jugo Papali liberaret Evangelicos. §. VIII.

Præsentis autem memor status quæro: *Annostri Principes Annatas exigere possint?* Idque remoto omni excessu, omnique abusu affirmo; Si enim omne Jus Papale, quatenus justum, competit ipsis, hoc excludi nequit; Quod autem, si à vero Domino exiguntur, justitiæ regulis nitantur Annata, non dubito; Nec est (1) quod dicas *id jus nunquam concessum esse ipsis*; Sane Pontifici per Concordata Germaniæ hoc jus, suis tamen limitibus inclusum, quæsitum esse nemo dubitat; Ergo J. ab hoc devoluto nostri quoque gaudebunt Principes. Imò hoc jus Annatarum superioritati territoriali ea propter coherere dici potest, quia idem quoque jam olim exercuerunt Imperatores, & quidem sub nomine *Juris Regalia*, teste Dn. Schilt. *de Lib. Eccl. G. §. 3. L. 5. c. 6.* Nec est quod (2) objicias cum *Nic. de Clemengis cit. à Besold. Thes. Pr. v. Annata pag. 42: cessare rationes quare sint introductæ.* Nego, quod apud nos cessent; potius adsunt graviores. Tunc unicus aderat Christiani nominis & Imperii juratus hostis; Hodie numerum auctum videmus, & istud potius cessat gravamen, quod pecunia trahatur extra imperium. Certe nulla unquam tempora majores sumptus ad conservandam Rempubliam requisiverunt, quam hoc ipsum, quo vivimus; Dicitur in *Edict. Brandenb. d. A. 1619. d. 13. Apr. von den Marine Jur. princ. Zumahl die Zuschiebs Mittel / so weit dieselbe zu der Conservazion und Sicherheit eines Etats nöthig seyn / nimmer zu schwer / oder zu groß gehalten werden können.* Idque verissime, præsertim nostra ætate dictum puto, eoque omnino respexit CAROLUS V, qui semper annatas in imperii necessitatem postulavit, Linck *de J. circa Relig. Disfid. c. 1. §. 7. f.* nec non SIGISMUNDUS Poloniæ Rex, qui A. 1543. ad Papam misit, petens, ne annatas ad se trahat ex Regno, sed pro hujus defensione
ibidem

ibidem relinquat, cum comminatione, quod nihil alias solveretur, v. *Statuta Polon. a J. Hub. a Fustineditate. annata.* Ex quo apparet, Annatas nunquam in Imperio damnatas fuisse, sed illicitam Annatarum applicationem, citra ullum Imperii commodum. Quod (3) de Crimine Simoniae objicere solent *Duar. de Benef. L. 6. c. 3, Azor. Inst. Mor. p. 2. l. 7. c. 12.* neque nobis contrariatur, cum nostri Canonici Sacra non administrarent; Imo isti per annatas nihil dant, cum potius Dominus tantum retineat primos suae rei redditus; Quid igitur æquius, quam Principi, qui in territorio suo Capitula fovet, defendit, tot prædia ad illorum sustentationem concessit, unius anni redditum ex quovis beneficio relinquere. Certe si Catholica mansissent Capitula, Pontifici hæc solvere debuissent; Quo jure ergo hoc denegabunt Principibus, papali Jure & territoriali simul instructis? Et cur hæc commoda Papalia lucro Prælatorum cedere deberent? Dicis per L. Imperii Capitulorum Jura esse confirmata; Concedo, & ea propter etiam servanda ipsis, si modo & ipsi sua præstent onera & omne id, quo non expresse liberati; Annatis autem respectu sui Domini nullibi exempti, potius subjecti, cum omne Jus Papale territorio istius adscriptum. Nec credo quem tantæ esse ingratitude Canonicum, qui non libentissimè in tesseram quasi grati animi his subscriberet; Clerici revera tantum sunt administratores horum bonorum & usufructuarii, *Conring de Pac. Perp. s. 2. Concl. X.* potest verò quilibet cum reservatione fructuum primi anni, usumfructum sui prædii dare tertio, & si in secularibus feudis non injustum, quod vasallus præstet Domino quædam servitia, quare in Ecclesiasticis? Notandum sane, quod in *Concord. cap. 4.* Annatæ veniant nomine *Communium Servitiorum*, quibus omninò pro communi tutela, propter Beneficium lucrativum, erga Dominum suum se nemo bona subtrahere potest conscientia. §. IX.

Affinis est huic materiae illa *de Pecunia, que à fine, quod se. maritimis destinata sit negotiis, nomen cepit, (Marinen-Gelder)* quæ in

se nihil iniquitatis habet, licet etiam ab officiis onerosis solvantur. Eo enim ipso, cum quis petit aut acceptat ejusmodi officium, contrahit quoque de omni onere, & sic de hoc etiam, cui se submittit; Et quis promotori suo præscribere potest modum promovendi; Verba ipsa des Chur Brandenb. Reglement von Marine Jur d. A. 1691. d. 13 April ita se habent Princ. Den sie ihre Bedienungen und Ehren-Nempter nicht aus Schuldigkeit / sondern blosser Gnade von uns erlanget haben / und wann wir selbige ihnen nicht gegeben hätten / die davon fallende *emolumenta*, worvon wir nur ein geringes wieder zurücke nehmen / ihnen gar nicht würden zu theil geworden seyn &c. Nec obstat, quod id videatur datum quasi *pro suffragiis*; Quod enim pro suffragiis datur, datur ab eligendo, ut eligatur; Hic autem dat electus, si dare quid dici potest, cum ipse Princeps potius primo Anno ipsi non conferat totum Salarium; Objicis *hoc conveniri mori Gallorum, qui vendunt officia*; Sed multum hæc venditiones differunt ab exactione istius pecuniæ, cujus nulla iniustitia demonstrari potest, Illam igitur, qui solvere renuit, rectè indignus judicatur officio, *Sic in præcit. Edict. §. 7. expressè dicitur: So sich in Abführung der Marine Jurium unwillig oder widerspenstig / oder um einige Remission bey uns ansuchen möchten / dieselbe erklären wir hiermit der von uns conferirten Ehren Nempter und anderer Begnadigungen unwürdig & adde. §. 8. diejen gen / so ihre höchste Schuldigkeit &c.*

§. X.

Ex præmissis §. 8. 9. oritur occasio indagandi, an utrumque *& annata & pecunia maritima* exigere possit à *beneficariis, seu Canonicis*, & notum quidem, quod sicuti duplex capere lucrum? ita & duplex onus ferre sæpe non fit iniustum, *arg. l. 78. ff. de Hæred. instit.* sed ut id ex diversis causis, diversisque fiat temporibus, communiter addunt Ddres; Et si verum dicere fas est; Habent istæ, habet hæc diversum nomen, ratio tamen eadem videtur, & utrumque iisdem fere nititur fundamentis, rationibusque. Bis autem aliquid ob idem petere, non congruit iustitiæ

stitiæ regulis, ne eo casu duo in unam personam onera simul concurrant.

§. XI.

Cæterum in omnibus his exigendis adhibendum est bene ordinatum iudicium; Benignitas anteferenda crudelitati, ne hodie eveniat Principibus, quod olim obtigit Imperatoribus, quorum Ministrorum injustitiam Jus illorum invisum reddidisse probat *Dn. Schilt. de libert. Eccl. G. L. s. c. 6. §. 4.* Monentibus concordatis recte respicitur, (utinam id Papa Rom. observasset,) ad qualitatem *Temporis, Rerum, & Regionum*; Adjustam enim formandam taxam utique facit *Fundi qualitas*, Præbendalium reddituum certa scientia; Tum *temporis ratio*, sic unus præ cæteris annus uberores fert fructus; Hinc non uno, sed diverso fiat exactio; Unius anni redditus in duobus solvantur annis, ita ut quovis dimidia solvatur, ne plane redditibus careat. Sed quid de casu, ubi *primo Anno mortuus beneficiarius, an solutio unius dimidia successoris est lucrosa?* Nego; Mors quidem ipsi lucro est, ratione aperturæ; Ast onera quilibet sua ferre tenetur, & debentur Annatæ ex omni vacantia, ita ut quilibet suum teneatur ferre onus; Dixi etiam de *qualitate Rerum* puto *Beneficii*, sic an *in minimis* etiam hæc strictè observentur, dependet ex Gratia Domini, quæ minima curare non solet, & ipsa *Conc. cap 4* excludunt beneficia, quæ non excedunt 24. florenos Auri, convenitque *c. cum sicut nobis. 2. de annat. in 7.* Excludunt etiam *beneficia feminina, ib,* sed non video rationem prohibentem, quare neque Sereniss. Domina nostra idem ex illis prætere posse, ast remoto eo casu, quando aliunde alimenta sumi nequeunt, eamque restrictionem fere universalem censeo, *arg. l. s. C. de patr. Pot.* Hoc de Annatis dixisse sufficiat.

§. XII.

Tenentur ne vero Capitula, ut & clerici præter hos casus ad subsidia? Quod ordinarie quilibet de suis Patrimonialibus contribuere teneatur, praxi jam satis stabili um,

Ziegl. *ad Lanc. L. 2. t. 20. §. 14. not.* Carpz. *Jprud. Cons. l. 2. D. 377.*
 Sed qv. hic est de plane extraordinario subsidio, quod petitur
 ab ipsis, tanquam Clericis, idque non licere puto, nisi *Casu
 necessitatis & ut exigatur à vero Domino.* Imperator hanc si-
 bi potestatem nunquam sumit sine concessione Papæ; Ast re-
 ctius suo jure usus est Gallix Rex, recteque idem sibi vin-
 dicant nostri Principes; Est enim summum Dominium pe-
 nes Rempublicam. Quilibet Clericus tenetur obsequi dispo-
 sitioni summorum Dominorum, *Conring. de P. Perp. sect. 2. con-
 cl. X.* Hi autem non nisi casu necessitatis ejusmodi quid ex-
 traordinarium exigere solent, aut deberent, & quidem casu
 tantum necessitatis inevitabilis, *Schilt. 7. Can. c. 1. t. 18. §. 11. Ill.
 Dn. Rhet. circa Sacr. c. 3. n. 19. & c. Conring l.c.* Pono casum (1)
 Belli, *l. 11. C. d. SS. Eccl.* Quod in Gallia, quando Rex bellum pa-
 rat, omnes Beneficarii statim decimas cunctorum reddituum
 ad sustinenda belli onera conferre teneantur, testatur *Duar.
 de Benef. l. 17. c. 1. Limn. de Notit R. Franc. L. 3. c. 2. lit. 11.* In Po-
 merania Episcopi Julinenses & Camminenses tanquam Land-
 fassii & Subditi primæ Sessionis cum toto Capitulo servitia in
 & extra Pomeraniam de Anno 1128 semper præstiterunt, refe-
 rente *Dn. Rango de Orig. Pom. pag. 124.* Et quis negaret Cleri-
 cis arma, isto sc. casu; Possunt impune in justo bello occidi,
J. Lup. de Libert. Eccl. p. 2. qu. 18. m. 4. & impune occidere
 possunt, *Dn. Brunnem. 7. E. L. 1. c. 6. m. 10. §. 1. ibique not.* Excel-
 lens præ aliis exhibuit exemplum celebris Ecclesiæ Minister *Dn.
 Walthar* egregius Civitatis Londondery in Irlandia præsentis
 bello defensor, *v. Histoire de Guillaume III. L. 2. p. m. 34.* (2) *Deva-
 stationis imminentis Reipubl.* quod omnibus imminet periculum,
 ab omnibus avertendum. (3) *Solutionis, der Landes Schulden / si*
 ad conservationem totius Reipubl., & sic etiam Clericorum
 contracta. An ad *Collectas Maritagii, Fräulein Steuer / Solutio-
 nem der Beede-Münze / Bischoffs Pächte / etiam teneantur Capi-
 tula, hic dicendi locus esset, sed transeant, ne justo sim proli-
 xior. Et hæc sunt, quæ occasione Concordatorum dicere potui.*
 CAP.

CAPUT V.

De

Potestate Principum circa
Capitula.

- | | |
|--|--|
| §. 1. An totum Capitulum tollere possint Principes. | §. 7. Si deficiunt Natales? |
| §. 2. Quando extinguere Prabendam. | §. 8. De Diversitate Religionis & Patria. |
| §. 3. Quod liceat ipsis circa Jura Capituli disponere. | §. 9. De Diversis aliis questionibus, & de Requisito studiorum. |
| §. 4. Capitula tenentur petere istorum dispensationes. | §. 10. An dispensari possit, ne teneatur Canonicus dormire in templo & dicere horas. |
| §. 5. de Postulatione quadam in genere. | §. ult. De Conventibus remissive. |
| §. 6. Quid si ignobilis eligendus ac si nobilis esset? | |

§. I.

PRincipio statim hic se offert quaestio, annon plane Capitulum a-
liquod Princeps tollere possit? Circa hanc merito notamus, quod
Capitulorum non ubique eadem sit ratio. Quaedam ex mero
Principis arbitrio dependent, quaedam vero in Legibus Imperii
fundamentalibus confirmationem receperunt, iisque limites
superioritati territoriali positi sunt. Et in his sane ea regula-
ter non competit, quae ibi concessa est potestas; Sic in Capitulo E-
piscopatus Camminensis in Pomerania, arbitrio Dominorum pla-
ne relictum est, per *I. P. A. X. §. 4. & XI. §. 5.*, an in totum illa ve-
lint mutare, an extinguere, reditusque mensae ducali vindica-
re. Et licet in *Recessu limitaneo inter Regem Sueciae & Elect. Bran-*
denb.

denb. inito de A. 1653. d. 4. Maji invicem promissa eorum asservatio; cum tamen Recessus ille expresse ostendat, ex sola gratia Regis & Electoris beneficia hæc subditis in Pomerania relicta esse, cum his vero nullum pactum de perpetua Præbendarum conservatione initū sit, nihil obstat illud Serenissimo Electori Brandenburgico, quo minus, præbendis ad collationem Regis Sveciæ pertinentibus, vi novissimæ Pacis inter ipsos initæ ad se devolutis, has penitus tollere valuerit; Quapropter singulari gratia præsentis Electoris potentissimi acceptum fert, Patria mea, quod initio felicissimi Regiminis *die 10 Maji 1689.* præbendas has statibus Provincialibus, cum omni antiquo jure, prærogativisq; restituerit, specialiq; diplomate, vim pragmaticæ sanctionis habente, uti ejus verba sonant, hoc confirmaverit; Ubi illustre singularis favoris, quo in studia fertur optimus Elector, exemplū occurrit, quod collatum semel Academiæ Francofurtanæ beneficium illibatum voluerit, per verba *dicti diplom. d. 10. Maj. 1689:* Jedoch dergestalt und also / daß die von Unsers Herrn Vaters Gn. Hochseel. Andenkens gemachte Stiftung zum besten der Universität Franckfurth an der Oder a 1000. Thl. jährlich in ihrer Krafft und vigor bleibe/und diese Summa von den Einkommen des Stiffts abgehen/ und von den sämtlichen Prælaten pro rata ihrer Einkünfte gezahlet werden sollen. Ejusdem Juris sunt alia Capitula in Principum nostrorum territorii sita, quorum conservationi Lege publica prospectum non est; Hæc vi supremi Juris Ecclesiastici vel in statu suo relinquere, vel aliis necessitatibus Ecclesiæ aut Reipublicæ impendere possunt. De diversis, ut *Bremensi, Verdensi, Halberstadiensi, Osnabrugensi* aliisque vide in art. X. XI. XII. XIII. *Instr. Pac.* Communiter tamen etiam ad Conventiones cum Statibus Provincialibus initas respiciendum, quibus plerumque de conservandis Capitulis dispositum esse solet.

S. I.

Illam de toto Capitulo; Quid si autem Princeps quædam beneficia Ecclesiastica vel certas Præbendas extinguere vellet, an & id pro-

prohibitum? Quæro autem de Capitulis, quorum conservationi alias prospectum, in cæteris enim quæstio Domitiana foret; Nam ubi quis majus potest, cur ipsi denegetur ibi minus. Papam id indistincte posse & sine causa, dicit Duaren. *de Benef. L. 8. c. 1. n. 111.* Ast eandem sibi nostri Principes isto casu non solent arrogare potestatem. Bene autem eos id ex justa posse causa arbitror; Causæ sunt vel summæ necessitatis, vel pietatis. Necessitatis exempla *in §. uli. cap. antec.* recensita, ut belli, &c. & Davidem famem sanctis mitigasse panibus, legitur *I. Sam. c. 21. v. 6.* adde Göckel *de Relig. 7. tb. X.* Huc autem refero defectum pecuniæ *ad sustinendos Ecclesie ministros*, nec non *ad sustinendam Academiam*, quæ utique favore piæ causæ, etiam præ cæteris digna est; Idque eo magis justum, quo magis Fundatorum intentioni respondet, qui, dum Ecclesiæ salutem promovendæ prospectum voluerunt, noluerunt omnino illius seminaria, quorsum Scholæ & Academiae pertinent, negligere. Nec obstat, quod potestas Secularisandi per I.P. non sit concessa, sed potius restricta; Nihil enim (1) secularisatur, ubi quid æque piæ vel magis piæ adscribitur causæ. (2) Casus necessitatis ab omni lege exemptus est. (3) Eodem res recideret, si Academiae existente collationis casu quasdam conferret præbendas Princeps, vel alio ipsi in capitulo prospiceret modo; Illustre huc pertinens exemplum jam *§. antec.* allegatum.

§. III.

Verum non modo, quæ mutationem beneficiorum inducunt, sed quæ præsentem etiam ipsorum respiciunt statum, tangenda, hinc quæro: *An Principes possint disponere circa Jura Capituli?* Quod Papa summam habeat in Capitulis Dispositionem, late deduxit J. Lup. *de Lib. Eccl. q. 3.* & quod solus dispenset in his, quæ irregularitatem inducunt, testatur B. de Aretio *de Dispensation. in vers. 5.* idque sibi arrogat ex plenitudine potestatis Innocentius III. *in c. 4. X. de Concess. Præb.* Majori autem fundamento hanc nostris vindicamus Principibus, qui indubitato summa in territorio suo gaudent potestate, cui hæc

G

juris

jurisdictionis Ecclesiasticæ pars utique cum tota cohæret, quod *cap. 1. probatum*, imo etiam ab ipso Pontifice, *c. cum terra 14. X. de Elect. & Elect. Pot.*, non simpliciter negatum legitur, & cum per I. P. omne Jus Papale Principi sit adscriptum, quare ne hoc, quod versatur circa Capitula, quorum Consuetudines & statuta *antiqua illibata* manent per I. P. *art. V. §. 16.*, ipsis adscribatur? *Illibata* dicuntur non tantum *respectu Principis*, ut ille conservet jus illorum, quatenus non contrariatur Legibus, Religioni, conscientiæ, per *eundem aliosque textus I. P.* sed etiam *respectu Capitulorum*, h. e., ut agnoscant suum Dominum, cui, cum verus & justissimus sit, majorem adhuc, quam olim Pontifici debent reverentiam; Sic suis vivant juribus Capitula.

§. IV.

Quare & Principibus nostris eandem circa statuta Capituli dispensandi licentiam concedo, quæ olim competebat ipsi Pontifici, modo justa ubivis ratio concurrat. Sic si Capitula illum, quem deficiens ob requisitum eligere nequeunt, postulant, omne à Principis consensu dependet implementum; Hinc neque Pontifex scribere solet *Confirmamus*, sed *admittimus postulationem*. Ratio, quod tota postulatio ab ipsius dependeat gratia & non ex Capituli arbitrio; Sic nec Principes nostri obligati sunt ad consentiendum, si à Capitulo inhabilem electum esse videant, per ea, quæ habet Dn. Heber *in Diss. de Postulat. c. V.* Capitula autem omnino tenentur ad supplicandum, nisi planè Jus suum amittere velint in negligentia pœnam, *c. quamquam de Elect. in 6. Duar. de Benef. l. 5. c. 5. Mandagot. de Elect. Nov. Prælat. c. 56.*

§. V.

Ipsa autem Postulatio nihil aliud est, quam petitio ut admittatur is, qui alias eligi nequit ob deficiens J. Canonici requisitum; Unde orta sit, conf. Heber *Diss. c. 1. & 2.* Differt ab Electione (1) *quia duplo majora requirit vota, c. 41. X. de Elect. & El. pot.* quod lis inter præsentem *Electorem Colon. & Guil. Fürstenbergicum* satis notum fecit (2) ibi tantum requiritur *confirmatio*, hic autem

autem *Dispensatio*; Nec contradicere possum Dn. Oldenb. *ad I. P.L. 2.D. XI. m. 1. §. 2.* quod olim multa inconvenientia per Postulationem introducta sint, nec M. Antonio de Domin. *de Rep. Eccl. p. 1. l. 3. c. 12 n. 50.* quod Papa sub hoc pallio multa decreverit iniqua; sed remoto istiusmodi abusu, nihil sanè injusti continebit. Nec obstat, quod indirectè consequamur id, quod alias directè non licet, cum illa dici nequeat via obliqua, qua superiorem recta adire necessum est.

§. VI.

Sed cum postulatio proprie tantum de Episcopis, non aliis Canonicis dicatur, Barbos. *de J. Eccles. L. 1. c. 19. n. 16.* Hoc sensu autem inter Evangelicos rarior casus contingat, præsertim cum Impedimenta Juris Canonici in nostris Episcopis plerumque non attendantur, ad Canonicos me confero & quaero: *An Princeps dispensare possit in casu ignobilis eligendi quasi nobilis esset, si ejusmodi ad sit statutum, quod nemo nisi nobilis admittatur, & imprimis iste tantum, qui justo majorum numero instructus est, ver 16. Ahnen beweyßen kan? conf. Draco de Patriciis p. 290. & seqq.,* Quicquid etiam J. d. Selva de Benefic. *p. 3. q. 7. n. 24.* objiciat ejusmodi statuta, reverà nihil injustitiæ continent & multis in locis inveniuntur; In *Recessu Provinciali etiam Pomer. d. A. 1654.* idem sancitum, daß die Thum Propsten zu Cammin unverriickt bey der Ritterschafft bleiben solle, Et sine dubio isto casu excluduntur omnes Civici etiam Doctores, licet non excludantur, ubi simpliciter statutum de Nobili agit persona, *v. I. P. art. V. §. 17.* Zaunschleif. *de stipend. a pbor. 7.* Garc. *de Benef. p. 7. c. 7. n. 43.* & adde *Rec. Prov. Pom. de Anno 1556. verbis: Bey vacirenden Canonici caten Præbenden und dignitaten des Thum Capittuls zu Cammin sollen dieselbe tugentliche Personen von Adel oder andern Standes der H. Schriff/ oder der Rechten Doctorn und ihres gleichen ansehnlichen Râthen und Dienern &c. &c.* Ast sunt quoque statuta, quæ utrumque volunt, imprimis apud Catholicos, ut sc. sit & Nobilis & Doctor, aut ad minimum literatus, sic in *Statutis Capit. Cammin, part. 1. nobilitas*

requiritur *literata*, v. J. Staphil. *de Grat Exsp.* p. 290. §. n. 10. Sunt statuta, quæ tantum Doctores requirunt, qui sint creati in Academia suæ religionis, hinc ne altera quis vice promoveat, nostri certo juramento in ipso actu Doctorali præcavere solent; Generaliter tamen in casu istiusmodi statutis ita contrario dispensare nolunt Principes, quia foundationibus adversatur, arg. §. 17. art. V. I. Pac. Interim puto, si Capitulum unanimi consensu ejusmodi ignobilem, aliis tamen virtutibus instructum vocaret, & à Principe confirmationem peteret, illud admitti debere; Si enim Consensu Principis & Capituli statuta mutari possunt, cur non & hoc casu dispensationi locus foret?

§. VII.

Sed quid de Natalium defectu, an legitimati eligi possunt? Spurii non merentur, ut de iis quæramus, inquit Duar. l. 4. c. 6. & quantam illegitimi inducant irregularitatem, deduxit B. Anton. *de irregul. c. 4.* Legitimati autem quod eligi, seu quod illegitimi postulari possint, communiter asserere solent, per *cum incunctis 7. X. de Elect. & El. Pot.* Ziegl. *ad Lanc l. c. §. 9. v. 6. natalibus illasum.* Per Legitimationem, enim eu postulationis admissionem mutare Papam naturam substantialem, ex illegitimo reddens legitimum, inquit B. de Aretio *de Dispens. n. 77.* Probè autem hic notandum esse arbitror, an in ista provincia Legitimati etiam ad alias dignitates admittantur; Si non, neque eligi poterunt contra Leges Provinciales; Sed quæris istiusmodi Provinciam? In Pomerania jam *Rec. Prov. de Anno 1633. d. 28. April. Stetin.* sancitum, daß hinführo und ins künfftige keine Kinder / so aus solchen unehlichen Benwohnungen und auffer dem Ehestande erzeuget seyn / ob sie gleich per subsequens matrimonium, oder Rescriptum Principis hernach legitimiret worden / ad successionem Feudorum admittirt / sondern davon gänzlich excludirt seyn sollen / idque etiam *Rec. de A 1654. ad cap. III. num. 13.* iterum confirmatum est.

§. VIII.

§. VIII.

Alium casum *diversitas religionis & Patriæ* movere jubet, an isto opus est dispensatione Principis? Apud Catholicos fere nemini ignotum, quod semper ejusdem Ordinis Clericus eligatur, si autem Laicus vel alterius ordinis quis promoveatur, dispensatio accedat, secundum *c. 13. de Elect. & El. Pot. c. 13. c. 16. D 61.* Quæ tamen apud nos non attenduntur, sc. an quis Reformatae vel Evangelicæ sit religionis, nec injustè, cum utriusque Religioni idem Jus per Leges Imperii adscriptum sit. *v. c. 1. §. ult.*, quod plerumque etiam per pacta provincialia repetitum, ut in Pomerania Electorali in *der Regierungs Verfassung d. A. 1654 t. 1. §. 2.* Et sic indistinctè eligi possunt sine ulla dispensatione; Catholici autem neq; cum hac admitterentur, excepto casu, ubi A. 24 fuerunt in possessione, quo etiam Evangelicus nec electione nec postulatione ipsis cõtra notissima Imp. Jura præferri debet; Hæc de Religione. Patriæ autem diversitas attendi non solet: Sæpe potius hanc odio habent Jura rationem, ut in *l. 3. ff. de Off. Assess. & tt. C. nulli Patriæ sue admin. sine spec. perm. Princ. permitt.* Sed, quid justius, quam quod quælibet terra suos alat filios, merito igitur sicuti in aliis casibus Jus indigenatus, ita & hic largiatur præferentiam, quod approbant Pontificii communiter justum dicentes, *si quisque in sua Patria beneficiaretur*, Staphil. *de Grat. Exspect. §. Nona forma. n. 39 | pag. m. 269.* J. de Selva *de Benefic. p. 3. q. 24.* idque generaliter de omnibus officiis, præsertim majoris notæ approbatur in Patria mea *Rec Prov. d. A. 1631 c. 3. n. 2. Regier. Verf. t. 4. §. 9.* & specialiter à Prælaturis excluduntur Extranei, *cit. cap. 3. n. 8.*, pro quibus autem meritò non reputantur Aulici Ministri, qui pro omnibus Principis Regionibus curam gerunt, sicuti id in *Resolutione Serenissimi nostri Electoris B. Mem. data Statibus Pomer. Provinc. d. 13. Septembris 1660.* expressè continetur; Pomerani autem Citeriores referuntur eo, & quidem J. Retorsionis; Quod autem Principis dispensatio hujusmodi casu locum habeat & salutaris sit, nemo negabit.

§. IX.

Cæteroqui infinitæ se offerunt in hac materia quæstiones, an cum *Principum Dispensatione* due *Præbende* uni conferri possint? an una dividi? an conferri sub conditione? an libertas habitus? an matrimonium *Canonicis* concedi? Sed ferè cuncta dependent ex decisione, an conscientia aut religioni id sit adversum, vel an Papa id possit? Quod id possit, docent J. de Selva *q. 5. n. 224. & p. 1. q. 4. n. 23.* Duaren. *l. 8. c. 4. & 6. c. 4. & 5.* Fr. de Platen *de Excommun. §. 9.* J. Lignano *de Benef. Plural. & A. Hojeda de Benef. incompatibilitate*, quare ergò neque Principes? Adde Dn. Brunnem. *7. Eccl. tt. de Præbendis*, Ziegl. *ad Lancell. l. 1. t. 30. §. 2.* Illam tantum adhuc tangere liceat, quæstionem, an dispensare, Princeps possit, *si vocandus operam studiis vel plane non dederit vel non per constitutum tempus?* Necessariam eligendorum qualitatem esse scientiam dicit J. de Selv. *p. 3. q. 5. n. 1.* B. de Bayfio *in Direct. Elect. p. 1 c. 50. pag. 406. vers. Gv.* Mandogot. *de Elect. Nov. Prælat. c. 53.* intolerabilem verò nullamque mereri veniam inscitiam, Duar. *l. 4. c. 2.* Quia tu scientiam repulisti, ego te repellam, dicitur in *c. omnes D. 38.* Illiteratum igitur planè inhabilem beneficii statuunt, Staphil. *de Gr. Exsp. §. una forma. n. 33 p. 269.* A. de Domin. *l. 2. c. 4. n. 6. A. B.* Id quidem recte de Beneficio cum Cura intelligitur, sed ut etiam cæteri studiis incumbant, necesse est, si eligi velint, J. de Selv. *p. 3. q. 5. & q. 7. n. 13.* Nec ignotum, quod communiter statuta Capitulorum *Triennium* requirant *Academicum*, idque *continuum* in eadem Academia; At Papam tamen dispensare posse, si planè idiota vocandus esset, testatur J. Raud. *de Dispens. c. 41. 46. 74.* nec video rationem contra Principes, in primis (1) cum non adeo ad tempus, quam profectus respiciatur, ex qua ratione in *Rec. l. d. A. 1654. §. 28*, quinquennii ad absolvendum juris studium observationem legitimus remissam, Blum. *Proc. Camer. t. 7. n. 37.* & quod singulare Almæ hujus Fridericianæ privilegium est ratione *continui* in eadem Academia *Triennii*, quod scilicet in *Privilegiis Acad. Elect. §. 11.* his extat verbis: *Wie wir dann auch aus Landes Fürstl. Macht/und Krafft*

Krafft des Uns zustehenden Juris Episcopalis in so weit dispensiren/das diejenige/so anderswo ihre Studia angefangen/solches auff unserer Univerſität zu Halle vollenden mögen/und ihnen solches bey denen in unsern Landen gelegenen Stiftern für voll gerechnet werden soll;(2) Non adeo respiciatur ad studia,quam vitæ integritatem. Non quod in Beneficiariis nihil reperiatur vitiorum; res enim contra naturam mere est, (*inquit Hieron.*) sine peccato aliquem esse, sed egregium & animi dotibus virtutibusque præcellentem multitudini esse debet. Dispensationem itaque de triennio Academico Principi tunc competere omnino existimo, eo magis, si promovendus ad canonicatum intra biennium tantam sibi paraverit eruditionem, quam vix alii intra quadriennium. Obtento fine, quid opus est, circa lapsum temporis sollicitum esse. Hoc sane melius foret, si Capitula non solum triennium exigent, sed simul publica eruditionis specimina sibi exhiberi curarent. Experientia enim plerumque testatur, illos potissimum, qui ad Canonicatum adspirant otio annos Academicos consumere; Hinc quaritur, cui magis de beneficio prospiciendum, an illi nobili Juveni der ein Jahr fleißig studiret/vel illi, der drey Jahr mit debauches und Müßigang zugebracht?

§. X.

Nunc obiter tangendum sequens Capituli cujusdam statutum, ubi *Canonicus noviter admissus tenetur dormire primo residentia anno singulis noctibus in templo, an hic dispensare possit Princeps?* Acriter agitatam hanc litem in Ecclesia non adeo remota percepi; Electus, cum sibi maxime incommodum esset, otiosas in templo Capituli consumere noctes, à Serenissimo nostro impetrauit Dispensationis rescriptum, sed huic omnes omnino vires opposuit Capitulum; Supra jam toties quoties dixi, quod vivant Capitula suis juribus, quodque nullum pinguius jus acceperint, quam tempore Papæ habuerunt, & tamen, quod ipsi nunquam, huic semper denegare conantur. Certe miror, quod Capitula, quando Principi nullum dispensan-

pensandi jus super statutis superesse contendunt, non advertant, quo jure alias Uxores suas defendere velint; nullum enim ipsis præsidium aliud, quam Principis dispensatio. Si ergò cælibatum tollere potuit, qui tamen Lege fundamentali omnium Capitulorum exigitur, cur non & de reliquis idem dicendum, si nihil conscientis aut religioni adversum committatur. Imo arbitror, tollere plane posse Principem ejusmodi ritum superstiosum per §. 16. a. V. I. P. Quid enim dormire in templo juvat, si dormientes comparantur amentibus, c. 3. §. sed adhuc & §. item *queritur X. de Baptism.* Cui accedit, quod vigilantes plerumque, licet clanculum, tempus quod superest, vino, cerevisia, tobacco, terere soleant. Imo alias quoad horas canonicas dispensare posse Principem non difficulter largiuntur nostri Canonici, præsertim in aulis degentes, qui beneficium à latere impetrare solent, quod sc. à residentia & huic connexa necessitate interessendi Sacris liberentur, ob id quod Principi à latere sive Consiliis esse teneantur. Nullam autem hic sibi dispensandi licentiam sumere potest ipsum Capitulum, licet istam denique in supradieto casu sibi arrogaverit & postea sæpius illam pernoctandi necessitatem, accepta certa pecuniæ summa remiserit; Verum sic utiq; jura Principis involavit & hinc merito ad pecuniam hoc nomine perceptam ipsi restituendam tenetur; Capitulo enim soli de statutis suis dispensandi nunquam indulta est potestas.

§. XI.

Addere nunc possem, quæ circa *Conventus Capitulorum* consideranda veniunt, cum autem omnes fere Publicistæ de hac materia prolixi satis sint, propero ad

CAP.

CAPUT VI.

De

Summa in Ecclesiasticis cognitione citra Appellationem.

§. 1. De Appellationibus ad Pontificem.

§. 2. De ipsarum Iusticia.

§. 3. Quod Principes nostri summum habeant Jus in Ecclesiast. Et sic etiam circa Capitulorum controversias Jus pronuntiandi citra ullam appellationem.

§. 4. Annon obstet, quod nostra prebende videantur seculares esse.

§. 5. Nec Imperator nec Camera

contradicendi jus habet.

§. 6. Responsum Colleg. Juridic. Francof.

§. 7. Quomodo hoc Jus Principes exercere soleant.

§. 8. An nullus in terris Evangelicorum remaneat casus sub Auctoritate Papali, annon Academicarum Constitutiones.

§: ult. Conclusio.

§. I.

Ratione appellationis in Imperio, ut & cæteris regnis eo perventum erat, ut omnes Appellationes & Civiles & Ecclesiasticas reciperet Papa Romanus. Ante Concilium Sardicense A. C. 347. quidem ad sedem Romanam extra Diæcesin istius non esse appellatum, probat Schilter J. Can. L. 1. t. 5. §. 13. Sed postea hoc introductum, & quidem cum summo Germaniæ incommodo, Oldenb. ad I. P. p. 2. D. XX. §. 3. med. Pufend. Cit. 12. §. 16. p. 768. Erat hoc ultimum refugium, ut qui apud ordinarium obtinere non poterat, recurreret ad Pontificem;

H

Sic



Sic intermissis omnibus instantiis eo appellabant, Ziegl. *ad Lanc.* l. 3. t. 17. §. 14. not. & quod apud nos Misericordibus tantum conceditur privilegium *l. un. C. quand. Imper.* illud ibi cuivis patebat, v. c. 15. X. *de Foro Competet.*, quod iustum exinde dicere volunt, quia habere ordinariam potestatem in omnibus causis totius orbis Pontificem & esse illum ordinariorum omnium iudicem, putant, C. *de Perusio de Reservat. Benef. proem. n. 1. 4.* Esse eum supremum, nec posse ab ullo iudicari J. Alb. *de Rot. Pontif. p. 1. n. 4. §. 87.* Nec ob stare ipsi Canones, qui totius Ecclesie Appellationes potius ad examen servatæ sedis admittunt, J. de Selva *de Benef. p. 3. q. 8. n. 33.*

§. II.

Et concederem ista, si dicta sint de Papali Diæcesi; Alias autem quis non videt summam iniustitiam, quæ eo major est, quo liberius sibi arrogat, etiam ad solius Appellantis prolata, nec auditum unquam nec unquam vocatum punire, A. de Domin. p. 1. l. 4. c. 8. p. 71. D. Soli enim tantum Deo, ut pote cordium scrutatori competit decidendi potestas sine quaestione, nemini mortalium, quia nulli deneganda defensio, & ubi causa publice iniustissima reputatur, sæpius tamen latitat circumstantia publice ignorata, qua salvari possit negotium; Nec vereor Pontificis, quam imminere dicit Fr. de Platea *de Excomm. §. 4. n. 19.* remoranti cursum eorum, qui Romam pro sua, qualiscunque sit, causa tendunt, excommunicationem, cum ipsam nomine appellationem ad Pontificem iniustam, quæ sane ex merito in Civilibus in *Capit. Leop. §. 19. Josephi §. 18.* plane sublata est; Non autem in Ecclesiasticis respectu Pontificiorum, licet ut abusus tollantur, quod jam veterum quoque fuisse gravamen refert Schilt. l. 7. c. 2. §. X. n. 9, promiserint Imperatores; Si autem tollantur, tota sublata erit appellatio, quæ solum in abusu consistit; Recte autem summa appellatio Domino Reipubl. sicut summa Jurisdictio Eccles. competit, idque Jus appellandi semper retinuisse etiam Reges Gallie, testatur Loyseau. *des Seigneuries cb. 15. n. 27.*

§. III.

§. III.

Et idem Evangelicis Imperii Principibus hodie competere, nemo inficias ire potest; suspenso enim omni Jure Papali omnique ipsorum territoriis incluso, quis de summo circa Ecclesiastica cognoscendi pronunciandi; Jure citra ullam Appellationem dubitabit, cujus omnimoda sublatio sine translatione maxime iniqua fuisset; Sed hoc est, quod non sine laesione auctoritatis nostrorum Principum huc usque neglectum; Equidem in Electorum Imperii territoriis vix unquam mota hæc controversia, cum ob generale de non appellando privilegium usu venire non possit eadem; Verum quod illas concernit provincias, ubi alias appellare ad Imperatorem fas est, huc usque non quidem in causis Evangelicam Religionem concernentibus, quippe in his ultra suprema Principum Consistoria nunquam suscepta fuit illa appellatio, sed in causis Ecclesiarum Cathedralium & Capitulorum, sive ipsas Ecclesias siue Canonicos de præbendis concertantes concernerent, impune ad Cameram imperialem appellatum fuit; Testantur hoc processus innumeri ex Ducatu Magdeburgico, Principatu Halberstadiensi, & Mindensi ad Cameram illa devoluti ratione. Quod demum paucos ante annos animadvertere capit Aula Brandenburgica, quam graviter contra summitatem Juris in Ecclesiasticis peccatum fuerit per admissas huius generis appellationes.

§. IV.

Nam omnino Causas Capitulorum & Præbendarum esse Spirituales, aut ut loqui amant, Spiritualitati annexas, negari nequit; Si hoc, quod Clarissimi Decretalium textus evincunt, non nisi ad cognitionem Ecclesiasticam, quæ per §. 48. Art. V. I. P. indubitato adscripta Principibus nostris, pertinent; Neque est, quod dicas, hodie apud nos potius Præbendarum beneficia mere secularia esse, (1) Nam mere sic dici nequeunt, cum ex fundatione titulum capiant (2) Si etiam id concederem nunc mere secularia esse, sufficeret tamen, quod ut mere Ecclesiastica olim tantum subsuerint semper Potestati Episcoporum

& Papali, postea autem nemini, neque quoad forum, quam Principibus subjecta sint.

§. V.

Nec his contradicendi habet causam Imperator, nec Camera, nam neque hæc neque iste in his judicavit causis durante Hierarchia Papali, sed ut dixi vel Episcopus, vel per appellandi viam Papa, quorum cuncta jura nostri habent hodie Principes; Judicat quidem Camera, in Casu Religionis, quando res controvertitur inter duos Imperii Status, per expr. §. 53 & 54 pr. a. V. I. P. Gail. I. Obs. 1. n. 3. Dn. Præf. in not. ad Brunnem. J. Eccl. L. 3. c. X. §. 17. Ast neutiquam si lis inter subditos Evangelicorum, Syring de Pac. Relig. th. 53. & 54. d. in med. qui in Ecclesiasticis nulli forum habent, quam coram Principis sui judiciis & ultimo coram ipso Principe, aut cui eaj cognoscendi potestas commissa est, ut in Saxonia Senatui Appellationum, in Pomerania Regia Tribunali Wismariensi; cui tamen ista non satis caute vindicatur potestas ex allegata a Dn. Mev. p. 4. d. 1. n. 7. ratione, quod surrogatum sit Camera Imperiali, si enim surrogatum tantum sapit naturam ejus, cui surrogatum est, nihil istud posset, cum & huic jus cognoscendi hoc casu deficiat. Sed potius vi generalis Jurisdictionis & sic etiam Ecclesiasticæ superioritati territoriali coherentis, & à Rege Tribunali huic communicatæ. Conf. idem Mevius P. 3. D. 415. n. 8.

§. VI.

Lucem hæc fœnerabuntur ex Responso quodam nomine Collegii Jurid. Francofurtani A. 1688. à Dn. Præside concepto mihiq; communicato, ex quo, Appellationē ad Cameram in causis Capitulorum vel Canonicatum eminentiæ Evangelicorum principum summopere præjudicare, constabit manifesto: Ob zwar nicht ohne / daß seine Chur F. Durchl. durch den Homagial Reces de A. 1650 denen per Sententiam Regiminis gravatis das beneficium appellationis ad Cameram frengelassen / wie dann auch ohnedem auff dergleichen Fürstenthümer das Jus de non appellando nicht zuziehen; Weil aber dennoch diese gegenwärtige Sache die
ad-

admissionem ad Canonicatum & Præbendam betrifft / und aus denen in solchem Fall üblichen Canonischen Rechten bestand / quod Præbendæ ipsi Canonatibus annexæ habeantur pro rebus spiritualibus, Barbos. *tr. de Canon. & dignit. cap. 12. §. 8.* Von welchen Causis Spiritualibus kein Judex Secularis, sondern nur ein Ecclesiasticus oder Episcopus judiciren kan / adeo ut si dubium oriatur inter judicem Ecclesiasticum & Secularem, quis competens sit, tunc de hac competentia, ut ut non adeo liquidum sit, an causa sit Spiritualis, solus judex Ecclesiasticus cognoscere debeat, *c. si Judex Laicus. 12. de Sent. Excomm. in 6. Felici de Oliva tr. de Foro Ecclesiast. p. 1. q. 26. n. 21.* quod extenditur ad causas Spiritualibus annexas, tales enim æque ad forum Ecclesiasticum pertinent, *c. quanto. 3. X. de Judic. Martha de Jurisdic. p. 4. Cas. 145. n. 8.* Aus welchen Ursachen auch die Camera Imperialis in causis ejusmodi keine fundatam Jurisdictionem hat / Mynsing. *Cent. 1. Obs. 100. Gail. l. 1. Obs. 38. n. 1.* Weil nun die Jurisdiction Ecclesiastica in territoriis protestantium gänzlich suspendiret, und also die suprema facultas cognoscendi in Ecclesiasticis mit der superioritate territoriali independenter vereiniget / per *I. P. art. 5. §. 7. Diaces. 48. Ibi: & intra terminos territorii cujusque Jus Diocesani & jurisdictio Ecclesiastica se contineat.* Welches nicht allein / si inter solos Evangelicos, sondern auch si inter illos & Catholicos controversia ecclesiastica occurrat, stat finden muß / per *§. Jus Diaces. Ibi: tam inter Catholicos & Augustanae confessioni addictos;* So gereicht zu Gr. Chur & D. mercklichen præjudiz, wann in dergleichen Erkändnissen super Canonicatibus, die appellatio ad Cameram zugelassen wird / inmassen sie dergestalt eine minorem Auctoritatem in Ecclesiasticis cognoscendi haben würden / als vor dem ein Bischoff zu Halberstadt gehabt / von welchem ad Cameram nicht appelliret werden können / sondern nur ad Archiepiscopum sive Primatem Germaniæ vel Pontificem, derer Auctorität aber suspendiret / und in effectu dem Domino Territorii überlassen. Darwieder zwar eingewandt werden möchte / daß der Proceß nur in possessorio geführet / Possessorium vero causa spiritualis non esse

spirituale, sed mere seculare, cum tantum de facto quaestio moveatur, & ea propter Jurisdictionem Camerae esse fundatam, Gail. de Obs. 38. n. 3. Blum. de Proc. Camer. 1. 43. n. 20. So kan doch solches anderer Gestalt nicht statt finden/quam si in prima instantia coram tali iudice seculari possessorium fuerit ventilatum, qui simpliciter Camerae imperialis Jurisdictioni subest; Nam ab Episcopo super possessorio Rei Spiritualis iudicante, ad Camerae imperialem, tanquam iudicem secularem appellari posse, ist denen Geistlichen Rechten zu wider/ubi à iudice Ecclesiastico ad secularem non patet recursus, c. 2. X. de Judic. pariter etiam quantum ad iudicem Camerae concludit Referens apud Gylman. Symphorem. Cam. p. 1. tom. 3. vol. 8. Nun entscheidet aber die Halberstätsche Regierung im Nahmen Sr. Churf. Durchl. die tztige und dergleichen Canonicat Sachen nicht vi jurisdictionis secularis & ea propter ad Camerae Imperialem appellabilis, sondern vi Jurisdictionis Ecclesiasticae vigore Instrumenti Pacis Domino Territorii competentis, zugeschweigen/das in gegenwärtigem Fall kein purum possessorium vorhanden/sondern es werden die Jura Capituli, wie auch derselben Pacta & Transactiones in Zweifel gezogen/worüber niemand anders/als Episcopus cognosciren kan/dahero billig/weil vielleicht bey E. Churf. Durchl. Stifftern dergleichen Appellationes dann und wann/aus nicht genugsammer überlegung E. Churf. Durchl. hohen Jurium zugelassen seyn mögen/das solche Appellationes in Causis Canonicatorum abgeschlagen werden.

§. VII.

Communiter tamen casu ejusmodi existente vel beneficium supplicationis, aut pro re nata, Restitutionis in integrum ex clausula generali Prætoria indulgeri, vel iudicium à Principibus Revisorium ordinari solet, quod in omni causa Consistoriali in Pomerania locum habet & in *Ordin. Eccles. p. 3. r.* van der *Consistor.* § wo sich / ita describitur: wo sich öferst jemand desjenigen/so gesprachen / beschweret / mag he sine beschweringe uns den Landesfürsten jedes Orts ordentlich in Schrifften öfergeben / so wille wie fer
ner

ner de orsacken / warum dermaten geordelet von dem Consistorio fördern / unde folgendes nah Gelegenheit der Sacken enen oder twee von den Assessoren in vicinis Consistoriis, so alle unverdächtig unde by Bervatunge vöriger Ordell nicht gewesen / verschrieben / densüligen veer unpartigliche / also uth jeder Fürstlicher regeringe twe Hoffräde adjungeren und dise sambtlich verendet nehmen / ergangene acta handlungen unde Ordell tho revederen / tho erwegen unde sic daröber der Geböhr und Billigkeit tho entschluten / ocf solches ordentlich tho publiceren ic. Sed *Mov. p. 4. Dec. 115.* se nunquam meminisse exactum hujus constitutionis exercitium, addit.

VIII.

Et hic subsisterem nisi *Appendicis loco*, venia Bev. Lectoris, resolvere adhuc constituissem, *annon ergò nullus in Evangelicorum terris existat casus requirens auctoritatem Pontificis?* referri hic possent isti, quando *ipse Princeps Juramento, aut à voto se absolutum optat*, quando *matrimonium in gradu prohibito inire cupit*, quis *dispenset?* Sed & istæ quæstiones pro Principibus apud Publicistas reperiuntur decisæ; Hanc superesse existimo, an Principes Evangelici sine istius consensu introducere possint Academiam. Hic Doctores pro & contra invenies; Sunt, qui id affirmant, hac ducti ratione, quod alias potestas creandi Doctores in J. Canon. non competeret; Sed distinguendum primò circa statum quæstionis; *Aut respicis tantùm Academiam simpliciter*, quatenus consideratur *in territorio Principis*, & ibi nec Imperatoris nec Pontificis consensu aut Privilegiis opus esse, in aperto est; Quilibet enim Princeps id in suo liberè potest territorio, quod Imperator in Imperio; Quare ergo neque Academiam instituere, cum actus longè majoris possit eminentiæ; Nec est, quod dicas, sic Academiarum unam conterere ob multitudinem alteram, hoc esse contra Imperii utilitatem; Potius una alteram ad æmulationem excitare solet, & ad studia promovenda numerus illarum in nimium excrecere nequit. nec obstat *Ordin. Camer. d. A. 1555. t. 3. §. 2. & I. P. O. art. X. §. 13.* in quo ultimò Imperator, Regiæ Majest. Sveciæ jus erigendi Academiam

IMPRIMATUR

miam



miam in suis ditionibus concedit; Hæc enim Imperatoris concessio ita intelligenda, ut simul in Imperio hæc habeatur pro Imperiali Academia, remanetque sic verum, quod nec Imperatoris, multo minus Pontificis hic requiratur Consensus. Alia igitur res est *in Imperio*, si Academiam respicis ratione effectuum, an in toto Imperio de jure respondere, Doctores, qui ubique pro talibus agnoscantur, creare & quæ sunt alia, possint. Hic necessaria est Imperatoris auctoritas; Sed an etiam Pontificis? Ita videtur, quantum ad Doctores Juris Canonici; Verum cum Jus Canonicum, quatenus in Imperio receptum, jus quoddam Imperii commune sit, non dubito, hoc eatenus Imperatori subesse, quod & ejus juris Doctores creandi licentiam concedere possit; Vid Ziegl. *de J. Maj. L. 1. c. 23. n. 30.* An tamen hoc extra imperium in terris Pontifici soli relictis procedat, dubito, quamvis ubi Pontifex hanc auctoritatē imperatori denegat, de facto id fecisse omnino existimandum. Quod si vero ad novam Academiam sine exceptione constituendam hanc Pontificis confirmationem requiri dixeris, & FRIDERICIANA hæc nostra ex abundantia illa quoque gaudet; Labitur enim annus ultra sesquiseculum jam decimus tertius, quo ALBERTUS Archiepiscopus Magdeburgensis hanc instituendam voluit, & Privilegia Papalia impetravit interprete Campegio Cardinale.

§. Ult.

Hæc sunt, quæ de hac nobilissima materia scribere nunc potui; Longior si tibi videor justo, ignosce; Si gravitatem materiæ consideras, magnitudinemque, brevior forsitan videbor justo, sed principio allegata brevitatis temporis, quæ mihi pro lege fuit, nunc etiam pro veniæ erit argumento; In omnibus cæteroqui cedo rectius sentientium judicio; omnibus autem consentiri non placuit, cum sententias legibus conformes fundamentalibus, antefendas esse duxi privatis opinionibus. SIT DEO, OMNIUM PRINCIPIORUM PRINCIPIO, OMNIUM RERUM FINI ÆTERNA GLORIA,

TANTUM!


Dei gratia...

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

TANTUM







Ka 3722


111

ULB Halle 3
006 683 959



Vb 17 am







DISPUTATIO INAUGURALIS
De
JURE PAPALI
PRINCIPUM
EVANGELICORUM,

Quam
TRIUNO DEO AUSPICE
Ex Decreto Ampliss. Facultatis Juridicæ
IN ILLUSTRIS FRIDERICIANA,
PRÆSIDE
DN. SAMUELE STRYKIO,
JC. SERENISS. ET POTENTISS. ELECT.
BRANDENBURGICI CONSILIARIO INTIMO, COMIT.
PAL. CÆS. ET ACADEMIÆ DIRECTORE,
PATRONO SUO DEVENERANDO
Pro Summis in U. J. Honoribus & Privilegiis
consequendis

d. Junii M. DC. XCIV. Horis ante- & Postmeridianis
placido Eruditorum examini
submittit

MATTHIAS DANIEL LAURENS,
Treptoa-Pomer. & Ordin. Summ. in Patria Jud. Advoc.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITTERIS JOSUAE STEGMANNI, ACAD. TYPOGR.